





Fr. 07. num. 12.

20.  
DISSE R T A T I O N I S  
DE  
TESTAMENTI DESTITVTI  
VIRIBVS  
SECTIONEM ALTERAM 19  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
MODERANTE  
CAROLO FRIDERICO ZEPERNICK

I. V. D.

D. XXVIII. SEPTEMBR. CIDIICCLXXIIII.

PROPVGNABIT  
GEORG. FRIDERIC. GOTTHELF LAVE  
SAXO - ISENACENSIS.



HALAE AD SALAM  
TYPIS I. C. HENDE







DISSERTATIONIS  
DE  
**TESTAMENTI DESTITVTI**  
**VIRIBVS**  
SECTIO POSTERIOR  
**SINGVLARES OBSERVATIONES**  
CONTINENS.



§. I.

**A**t enim vero incassum abiret tota disputatio, atque superfluis merito adnumeranda esset, nisi hodie testamentum adhuc destitutum fieri posset, nostraque aetas, adeo benigna erga deficentium competentes voluntates reperiretur, ut omnis, ipfas deserendi admota sit facultas, & ablata. Quid igitur nobis deber esse antiquius, quidue prius suscipiendum, quam illius quaestionis paucio plenior disquisitio: *num detur hodie testamentum destitutum?* in primis cum Viri docti sint, qui omnem omnino, aut saltim frequenter, huius doctrinae vsum pernegent. Nos enim licet non praetereat, huius illiusque ICti auctoritatem, aliquam legitimae disciplinae partem, tamquam peregrinam e iuris ciuitate expellere, vel contra aliam, inuita Themide recipere, non posse; tam

A

men

2

men cum nominum famam auctoritatemque, aliorum interdum argumenta vincere, illique maiorem vim quam his tribui, deprehendamus, operaे pretium esse putauimus, rationes, quarum ope deserti elegii existentia in dubium vocari solet, ponderare, et an sufficient, perspicere. Idque nobis curae esse debet cordique, propterea, quod negantes eandem plerumque, quam nos de Nouellae constitutionis primae dispositione defendere ausi, sententiam, ad confirmandam opinionem adducere solent, excitaram scilicet legem de testamento loqui destituto. Quae si inde deduci posset, imo sponte fluenter consequentia, nobis fane Imperatoris declarata voluntas permultum obesset, tantum abest ut ad illam confugere possimus, nostraeque argumentationis vim ab ea expectare. Salua tamen tantorum nominum fama, eorumque meritis qua par est reverentia aestumatis, cum argumentis eorum res erit, ipsis vix nominatis. Sola enim necessitas exigere videtur praecipios excitare, ne andabatarum more pugnemus: Sunt igitur in eorum numero *Arnoldus VENNIVS* <sup>a)</sup> *Ge.* *Ad. STRVVIVS* <sup>b)</sup> *Ge. FRANZIVS*, <sup>c)</sup> aliique, quos singulari collegit studio, qui peculiari scripto illustravit testamentum substitutum, *W. A. LAVTERBACH.* <sup>d)</sup>

## §. II.

Verum omnibus perpenfis, illorum argumenta eo redire animaduertimus, testamentum hodie defitutum ideo euadere vix posse, quoniam permultis adeundi potestate fecerit *IUSTINIANVS* nouella constitutione priori. <sup>e)</sup> Etenim legatariis & fideicommisso vel libertate honoratis, imperiali benevolentia ad subeundam hereditatem vocatis, iniuncto simul competentis defuncti voluntatis implemento, vel nunquam testamentum sine additione remanere, sibi aliquis persuadent. At vbi, ita forsitan concludunt, hereditatis aditio celebratur, deserti elegii ratio abeat, necesse est, additionem non esse factam supponens. Exulet igitur deserto elegium sublata Iuris antiqui subtilitate, adeundique potestate

aliis

<sup>a)</sup> *Comment. ad §. 4. J. quib. mod. test. infirm. in fin.*

<sup>c)</sup> *ad §. 2. J. de leg. Falcid.*

<sup>b)</sup> *Syntagn. Juris Civil. Exerc. XXXII. th. 47.*

<sup>d)</sup> *Disp. de testamento defituto.*  
(Tübing. 1670.) Membr. III. §. 28. &

<sup>e)</sup> *Nou. I. c. i.*

aliis personis a FLAVIO nostro facta: quousque vnum alterue eorum, quibus ea facultas data, supereft, defertae non erunt testamenti tabulae. His suppositis, raro hodie contingere tale testamentum, imo numquam fieri posset, cum fere cogitari nequeat, vt omnes vocati deficiant, aut vices heredis sustinere spartamque suscipere nolint. Quantam vero haec & quam lege pree se ferant speciem, nobis tamen rationes satis idoneae non videntur, ipsique opinioni dudum se opposuere Viri docti, in alia omnia discedentes, Nouellaeque constitutionis explicationem sinistram esse adfirmantes. Hanc enim cum animaduerterent fundamentum totius esse sententiae, leuitatem eius haud apertius demonstrare putarunt, quam si infringenter ipsam, vt adeo sublato fundamento sponte corrut aedificium. Negant igitur arque perneggant, IVSTINIANVM in saepius laudata Nouella de testamento deftito quicquam enunciassent, eamque tantum illi aptare student facta, si heres in adimplendo ultimo defuncti elogio fuerit morosus, nec agens quod preeceptum, ceu IVSTINIANVS loquitur, f) indeuote rebus perceptis, quod est iussum, non fecerit. Leuiori profecto negotio, aduersariorum opinio dilui non posset, atque vnicam haec ratio, allatis ad firmandam contrariam opinionem direcete opposita, palmam omnibus preeferret. Verum licet ipsa, quae defendit, dari adhuc hodie testamentum defitatum, sententia, nobis haud displiceat; tamen rationem nostram facere, ideo iure dubitamus, quoniam ab Imperatoris voluntate alienam esse, alibi demonstrauimus. g) Horum igitur argumentum, a falsa legis explicatione petitum, nostra Nouellae interpretatione, hic non repetenda, dilui potest atque conuinci. Ipsa vero thesi arrogata, aliae sint rationes, quarum ope VINNII & reliquorum argumenta oppugnanda, ita comparatae, vt salua constitutionis explicatione, adesse hodie fierique posse testamentum defitatum, affirmari queat, necesse est. Cum his igitur, ad sensum Nouellae constitutionis quod attinet, consentimus, eorumque auctoritate vti possemus, ast inde deducta admittere ideo dubitamus, cum omni vtilitate de viribus testamenti defituti substitueretur disputatio. Quare videamus quod insit vitium, cau-

A 2

sam

f) Non. I. preef.

g) Disp. nostr. Sect. I. §. 43. seq.

4

samque perpendamus, quo minus eorum castra sequi valeamus,  
prohibentem.

§. III.

Destituti vero testamenti indolem, satis accurate perspexisse non videntur, qui eam ob causam hodie admittendum negant, quoniam aliis, ac ipsi heredi adeundi facultas est oblata. Verum eam huius testamenti naturam esse, ut heres scriptius aditionem & defuncti voluntate, siue necessitate siue voluntate, haud celebrauerit, adductis eum in finem Veterum locis, probauimus.<sup>b)</sup> Nobis igitur ea inest opinio, omissam instituti aditionem ex testamento, utramque huc facere paginam, eamque solam tantam vim habere, ut destitutum efficiat testamentum. Quod ~~neptuorum~~ Nouella prima sublatum esse & aliud substitutum, si probatum dedissent aduersarii, locum cedere cogeremur; at vero nulla unquam ratione id adstruunt, adeoque illud ipsum admittant hodie, iuris antiqui ex ratione, necesse est. Omissa proinde testamenti causa, siue plane hereditatem institutus repudiet, siue ex alio fundamento delatam sibi hereditatem adeundo adquirat, destitutum erit testamentum, in cuius tabulis heres erat recitatus. Eo, quod essentiam huius testamenti constituit, non cessante, illud ipsum quoque non cessabit. His praeordinatis ad prolatam rationem respondere non difficile erit. Nullo enim modo, exinde quod Imperator aliis personis subeundi potestatem fecerit, testamentum destitutum hodie cessare, colligi potest. Quo enim loco ad adeundam iacentem hereditatem inuitatos, eo sensu heredes nominavit, ut destituenti proprium praefare, aut illam conditionem ultimae voluntatis tollere possent, quaes tantum ab ipso pendebat? Aut quae legis verba probant, vocatos instituti atque deferentis heredis personam per omnia induere, vel heredum substitutorum loco esse habendos? Neque enim verba IUSTINIANI: <sup>i)</sup> — damus omnibus talibus personis fieri heredes, & aditionis, aut pro herede gestio[n]is habere ius (haec enim legis verba sunt) & tanquam heredes omnia gerere & conuentos & conuenientes — hoc euincunt, sed ad dignoscendum modo officium, atque obligationes adeuntur exprimendas, posita sunt. Haec enim est IUSTINIANI voluntas,

<sup>b)</sup> Disp. Se<sup>t</sup> I. f. 2.

<sup>i)</sup> Nou. I. c. 1. f. 4.

tas, ut intuitu praestationum onerumque, a defuncto instituto  
heredi impositorum, huius partes suscipiant, ne deficientis com-  
petens voluntas, aut necessitate non adimpta remaneat, aut  
instituti voluntate omnem vim amittat atque virtutem. Tanquam  
heredes igitur omnia gerant, edixit Imperator, & quasi a testato-  
re ipsis onera essent imposita, scripta adimplant. Idem excogi-  
tata cautio, qua demum praestita admittuntur <sup>k)</sup> nos docet, si  
quidem eam semper ita expressam inuenimus, vi compleant quae  
testamento continentur: quibus nihil aliud indicare voluit legis-  
lator, nisi adeuntes esse obligatos eodem modo, iniuncta institu-  
to heredi praestare, quo ille ipse, ni deseruisset elogium fuisse  
obstrictus. Adeant ergo hereditatem ob destitutum testamentum  
iacentem, implant quae a moriente disposita, accipiant res &  
agant in eis, quae recte voluit testator, ipsi qui ad sustinendas  
deserti testamenti vires sunt vocati, nunquam tamen efficient,  
testamentum deſtitutum, cuius vires adeundo promouent, desti-  
tuti naturam, omilla instituti ex testamento aditione induram, ut  
exuere queat. Quamvis enim adire dicantur hereditatem, id ta-  
men, non ex defuncti voluntate, sed singulari legis beneficio  
fieri, nobis haud monentibus, quemlibet perſpicere arbitramur.  
Si vero non e testamenti tenore, sive quoniam instituti sunt he-  
redes, adeunt, sed e legis dispositione, quo iure testamenti tabu-  
las herede deſtitutas manere negabimus?

#### §. IV.

Aduersariorum autem argumenta superasse non sufficere vi-  
detur, iure enim alia & meliora, ad causam deſtituti testamenti  
vindicandam & ad suam fedem revocandam idonea, postulabis.  
Et omnino supersunt fortiores rationes, quare hodie adhuc te-  
ſtamenta huius indolis admittenda: Enimuero non immerito ra-  
tiones ex ipſa rei natura petitas, fortiores nominare possumus.  
Causis, ex quibus testamentum in deſtituti conditionem redigitur,  
hodie non ceſſantibus, non ceſſabit etiam huius testamenti ratio:  
probata vero harum existentia, nonne tunc concludi poterit, dari  
& post Nouellam primam deſertum elogium? Evidem omnes  
omnino causas, ex quibus olim Quiritium deſtituta reddi pote-  
rant

A 3

k) *Nou. I. c. 1. §. 1. cf. Disp. Sect. I. §. 49.*

rant elogia, hodie non amplius adesse, haud diffitemur, cum permultae, ex mero iure ciuili descendentes,<sup>1)</sup> ob mutatam reipublicae formam vsum habere nequeant. Equis vero, sublato uno atque cessante altero casu, totam rem negare audebit? Latit enim atque perlatis legibus in primis caducariis, causae eum in finem apud Romanos erant excogitatae, quo saepius lautae hereditates aerarium replerent, & quo facilius fieri posset, ut olim haud impeditus, quominus delatam sibi hereditatem acquirere possit, iam tanta animaduerteret impedimenta, maxime ex se ipso defumta, vt numquam admitti, & adeundo res hereditarias suas facere, cogitare posset. Sed haec *ἐν παρεχόντω*. Omissis igitur modis & caufis, mutata reipublicae forma locum sibi haud vindicantibus, reliqui modi & praecipui admitti poterunt. Quos modos nobiscum si repetimus, eo, an institutus voluerit, an debuerit hereditatis aditionem ex testamento omittere, inueniemus, inueniemus autem causas quare illud contingere queat, apud nos existere non desisse, adeoque eosdem quoad testamenti condicionem effectus producere. Neque enim quemquam negare puramus, nostro quoque aeuo ante celebratam hereditatis ex testamento aditionem institutum interdum ire, canente *CATULLO* <sup>m).</sup>

— — per iter tenebricosum  
Illuc, vnde negant redire quemquam,

causaeque adeo praecipuae deseriti testamenti ansam praebere posse. Iam si effectum huius facti quoad testamentum spectamus, ille profecto nullus nisi desertio elogii erit. Habes igitur modum, cuius rationem ipsam hominis naturam comprehendere nuper adfirmauimus; <sup>mm)</sup> nec aliud respondere, si natura obsistat, quo minus conditio, qua adiecta heres scriptus est adimpleri queat, a nobis impetrare possumus. Sed ad alium modum animum si aduertimus ab instituti scilicet voluntate pendentem, idem quod Romae obtinuit, hodie deprehendemus; instituto nimirum, velit an nolit delatam sibi, & alteri haud restituendam hereditatem suam facere, cum sit relictum, ipsius quoque aditionem omittere

<sup>1)</sup> Disp. Sez. I. §. 8.  
<sup>m)</sup> Epigram. III, 10.

<sup>mm)</sup> Disp. Sez. I. §. 7. p. 15.

tere, nō sicut mera voluntate ut elogium herede careat, eum efficere posse. Donec igitur ab aduersariis doceatur, quod tam fieri posse dubitamus, hanc libertatem nostris cessare temporibus, nec amplius a voluntate heredis pendere, an velit hereditatem delaram subire, an fecus, interdum etiam voluntate heredis scripti testamentum substitutum effici, profitebimur.

§. V.

n) L. 6. §. 8. in f. L. 17. D. si quis omis. caus. testam. L. 6. L. 85. D. de A. vel O. her. L. 16. C. de iur. deliberand. Haec ultima defuncta est ex L. 149. C. Th. de Decurion. vbi verba: nec damnosam quisquam hereditatem adire compellitur, hic in genere posita, tamquam rescripti ratio fuit adducta. Ceterum in & subscriptio a TRIBONIANO mutata non est, licet utraque varie in libris expressis legatur. Nam in editionibus Cod. Iustinianus legitur Ennodius s. Annodius notante L. CHARONDA ad L. 16. C. de Inv. delib. & Iac. GOTHOFREDO ad d. L. C. Th. at in Theodosiano opere Ennодиус variis locis a laudato GOTHOFREDO collectis, nominatur. Fuit autem Ennодиус Proconsul Africæ imperante HONORIO, variaque ad eum rescripti sunt directa. v. c. L. 24. C. Th. de annos. J. GOTHOFR. prosopograph. Cod. Th. T. VI. P. 2. pag. 50. Edit. Ill. RITTER. Alb. RUBEN. vit. Fl. Mallii Theodori ad an. 395. p. m. 40. (edit. PLATNER. Lips. 1754.) Heic tamen ab Imperatore titulus Sublimitatis ei datum est, L. 24. C. Th. de annos etiam obueniens. vid. I. GOTHOFRED. Notit. Dignitat. Cod. Th. T. VI. P. 2. pag. 23. Alias & si PANZIROLLVM ad Notit. dignitat. imper. orient. cap. 100. (p. 159.) sequimus, ante CONSTANTINVM M. clarissimi viri sunt appellati, quod probatur L. 3. C. de quib. caus. infam. interrogat. & L. 16. si ex fals. instrum. quae Imp. SEVERVM & ANTONINVM autores habent; Postea ad spectabiles pertinuerunt

Notit. Occident. apud PANZIROLL. p. 6. CVRTIVS de senat. Roman. post tempor. rep. liberue. IV, 8, 101, p. 182. GUTHER dē offic. dom. Augst. I, 9. p. 36. In subscriptione variant libri impensis, alii VII. Kal. Ian. alii VI. Kal. Ian. habent. Cum vero notauerim verba L. 16. C. de iur. delib. rationem tantum Imperatoris continere, notandum, HONORIVM L. 149. C. Th. de Decurion. prohibuisse, quo minus Curiales, qui partem bonorum Nauiularii acceperant in exitium curiarum, ipsi se subtraherent, sed, ut Curiales maneat & pro modo acquisiſti patrimonii Nauiularii, ipsius functiones recipiant, voluisse; propterea, quod nemo compellitur damnosam adire hereditatem, adeoque fibinet ipsi tribuat, si bonis acceptis onera suscipere debeat. Quibus Imperator iunxit notatu digna, sed a TRIBONIANO omissti verba: cum & in deliberationibus coniunctionum furvarum commodis propisciantur heredum. Quae, nostro iudicio, nil nisi haec fibi volunt, deliberandi beneficium eum in finem inductum esse, ut rimari queant institui, an ex coniunctione, vel confusione per aditionem facta, faborta ferre possint onera. Quamobrem cum I. GOTHOFREDO Comment ad cit. L. T. IV. p. 515. non emendamus coniunctionem in conuentione, cum Imp. ad coniunctiones heredis defunctique perlitas, in praefestis Curialium & Nauiulariorum oneribus, respexisse videatur, atque adeo aptiori voce viii non potuerit.

§. V.

Ecce vero, nobis aduersarios prouocantibus obuenit THOMAS<sup>o)</sup> interque alia ius canonicum a ciuili in eo differre, ut simpliciter heredem ad adeundam hereditatem delatam compellat, statuit. Haec si vera essent, dispulta foret nostra argumentatio, cum sine dubio iuris canonici placita dispositionem iuris romani superarent. Ipse ne γεν quidem ad firmandam differentiam attulit, sed ad SCHILTERVM lectors ablegavit. Videamus igitur, & quantum fieri potest, explicemus textus ad firmandam differentiam allatos. Agmen dicit decretalis epistola <sup>p)</sup> quae GREGORIVM IX. P. R. laudat au<sup>t</sup>orem, & inscriptione monente ad IANVARIVM Episcopum Caralitanum, ob sequentem forte facti narrationem, data est. Stephanus quidam in testamento Theodosiam heredem nuncupauerat, interque alia monasterii fundationem praeceperat. Heres facta in adimplenda defuncti voluntate, praesertim exstruendo monasterio, moras neciebat. Quaerit ergo IANVARIVS a Pontifice, quid sibi faciendum? quo facto GREGORIVS nostro capitulo ipsi proponit: vt diligenter adhuc commoneat Theodosiam, quatenus intra annum monasterium, quod iussum est debeat ordinare, & cuncta secundum voluntatem defuncti sine altercatione construere. Si vero nihilominus Theodosia exstructionem negaret, simul iniungit Episcopo, monasterium aedificare illique omnia sine qualibet diminutione adsignare, addita ratione: sic enim secundum piissimas leges dilatas defunctorum pias voluntates episcopali decens est studio adimpleri. Etenim iam ab Impp. LEONE & ANTHEMIO q). ultimarum voluntatum in fauorem piarum cauſarum speciatim redemtionem captiutorum aliquid disponentium exsecutio, contra morosos variisque

<sup>o)</sup> Diff. de different. Iur. Civil. & Canon. in doctrin. de testament. (Hal. 1707.) Cap. I. §. 14. ex Cbr. WEGNERI different. Iur. ciu. & canon. ab Henr. HAHNIO editis, in Io. SCHILTERV. Institution. Iur. Canon. ex recension. I. H. BOEHMERI (Fref. & Lips. 1718.) §. 71. \*) pag. 511. Eadem habet Em. AROS BACH de compar. iur. ciuil. & canon. Tit. V. n. 4. §. iisdem textibus

allegatis. Sed distinctionem inter coactionem ad adeundam hereditatem, & ad adimplendam voluntatem defuncti esse, non intellexit: nobis saltim aliud verba: iure canonico indistincte heredes ad exequendam & expleandam ultimam voluntatem testatoris compeluntur, significare haud videntur.

<sup>p)</sup> C. 3. X. de testament.  
<sup>q)</sup> L. 28. C. de Episc. & Cleric.

riisque explicationibus vtentes heredes Episcopis data est; quod late dein IVSTINIANVS repetiit, auxit atque emendauit, <sup>v)</sup> ad quorum leges forsan respexit GREGORIVS. Habes ergo veram capituli speciem; iam quoefo probes differentiam inter ius canonicum atque ciuale, cuius gratia textus laudari solet. Nec vola nec vestigium adeat de hereditis coactione: imo de adeunda hereditate plane quaestio suboriri non poterat, Theodosia herede iam existente, Stephanique desiderium modo protrahente, nondum enim adire debuisset, si simpliciter, ut THOMASIO placet, fuisset compellenda. Soli Episcopo, herede moroso non obtemperare, finito anno & nondum exfructo monasterio, illud aedificandi adsignandique omnia sine deminutione, licentia concessa est; vbi forsan IVSTINIANI similem dispositionem <sup>v)</sup> in mente habuit Pontifex. Foemina igitur ad aditionem compellenda non erat, sed ad exfractionem conficiendam, admonenda. Neque alia in reliquis capitulis, a differentiarum archytecis allegatis, reperimus, atque meliora. Sequens <sup>v)</sup> enim e concilio Moguntino defunctum, in genere tantum heredi iussa testatoris haud adimplenti poenam iniungit eam, *vt ab episcopo loci omnis res, quae ei reliqua est, canonice interdicatur cum fructibus & caeteris emolumentis: ut vota defunctorum adimpleantur.* Clariora sunt verba *ut interprete egeant, institutum non cogunt hereditatem adire, sed facta aditione heredem, ut iussa testatoris ad finem perducat, ea praesertim quae in ecclesiae fauorem condita, compellunt.* Succedat ergo tertium capitulum, <sup>u)</sup> hoc ne ad heredes quidem ipsos spectat, sed contra executores voluntatum directum, ideoque plane hic non pertinet. Probat hanc sententiam narratio Episcopi Nouiomensis, vel Nouiodumentis, secundum GONZALEZIVM, <sup>v)</sup> ad GREGORIVM IX. missa. Etenim clericos tam quam laicos, interdum pecunias a testatoribus piis vsibus dicatas, in alios, a mente defunctorum alienos, conuertere, retulerat Praeful; cui respondet P. R. locorum Episco-

<sup>v)</sup> L. 46. L. 48. C. Eod. Nov. CXXXI  
cap. u)

<sup>v)</sup> Cap. 6. X. de testament.

<sup>v)</sup> cit. L. 46. §. 4. C. de Epist. &  
Cleric.

<sup>v)</sup> Cap. 17. X. eod.  
<sup>v)</sup> Not. a. ad d. cap. 17. X. de  
testam.

scopis, ultimarum voluntatum exsecutores diligenter admonere, ut bona ipsa fideliter & plenarie in usus praedictos expendant, incumbere; propterea, quod in omnibus piis voluntatibus prouidere debent, ut secundum defuncti voluntatem vniuersa procedant, et si quoque restatores id fieri negauerint. Pariter ultimus locus <sup>y</sup> de exsecutoribus agit, eosque, suscepito mandato s. exsecutione, per dioecesanum Episcopum compellere vult, ut exacte fiant, quae testator, tam ratione piorum locorum, quam creditorum satisfactionis disponuerit. Causa enim huius decreti, negligentiam exsecutorum testamenti O. clericis S. Crucis esse, textus initium lectorum docet. Cum igitur omnes allegati textus differrentiam iuris canonici & civilis in adeunda hereditate non probent, neque DD. tanta sit auctoritas, ut suo ingenio talem infarcire queant, non possumus non nostrae inhaerere opinioni, hodie adhuc ab instituti pendere voluntate, velit an nolit delatam sibi hereditatem adeundo acquirere, adeoque testamentum voluntate destituere.

### §. VI.

Altera tamen ab HEINECCIO <sup>2)</sup> ad sustinendam VINNII opinionem (§. II.) adiecta, & a deliberandi beneficio petita ratio, silentio non est praetermittenda. „Accedit & alia ratio, air, quod eius nouum inuenerit beneficium inuentarii, L. vlt. §. 4. C. de iur. deliber. quum enim inuentarii rite confecti is sit effectus, ut heres non teneatur ultra vires hereditatis, §. 6. I. de her. qual. & diff. non temere quis repudiabit hereditatem, sine periculo a se adeundam.„ Verum introducto inuentarii beneficio, eoque effectu gaudente, nihilo tamen minus fieri potest, ut delatam quis hereditatem repudiet, idque temere fecisse non videatur, atque hac ex ratione destitutum oriatur testamentum, cuius existentiam ob illud inuentum, in dubium vocauit HEINECCIVS. Nam si Viro doctissimo dare vellemus, istud inuentum IVSTINIANI aliquid efficere posse, tamen omnes destruendi modos non tolleret, cum ad eum casum, quo heres voluntate, ob suspectam iacentis hereditatis conditionem, defuncti competentem negligit

VO-

2) Cap. 19. X. de testam.

2) Not. ad VINNII Commentar. ad §. 4. J. quib. mod. testam. infrim.

voluntatem, modo sit trahendum. Et ne hanc quidem speciem ipsius ope plane nunc esse sublatam adfirmare possumus, tantum abest, ut omnem defituti testamenti rationem huius beneficij ergo cessare, concedamus. Enimvero paulo curatus rebus consideratis tantam huic beneficio tribuere virtutem, quantam H E I-NECCIVS ei adscriptis, aliud cum ipsius indoles & natura suadeat, a nobis impetrare non possumus. Gratias agant IVSTI-NIANO heredes quibus prospexit pro beneficio, in quo tribuendo, ipso subtili iure inuoluto, tam caute egit & circumspete. Adspice quaeso nouissimam iuncta veteri hac de re constitucionem, <sup>a)</sup> &, variis limitibus circumscripsum esse, nec usum adeo late patere ut ipso facile institutis frui queat, dabis. Quam enim ob rem tot requista in confiendo inuentario fuissent necessaria, ni ipsorum ope beneficij usum circumcludere voluisset? quare non improbandum si rite confecto inuentario effectus beneficij conceduntur. Sed redeamus ad nostram causam: vniuersam IVSTINIANI in constituendo beneficio inuentarii rationem animo si perpendimus non aliam, nisi heredem adeuntem securiorum reddere, ne ultra hereditatis vires obligetur, eamque ob causam hereditatem omittat, habuisse inueniens: <sup>b)</sup> at frustra medium cogendi vel aliud quicquam quod institutum impediat, quo minus libere repudiare possit hereditatem, aut ad inuentarium conficiendum compellat, inuestigabimus. Ideo inuentum beneficij nomine est exornatum, quoniam nulli obtruditur, nemoque inuitus laitis effectibus frui cogitur, sed ab instituti pender arbitrio, non solum an hereditatem subire, sed etiam an cum beneficio inuentarii additionem celebrare velit, licet in hoc casu maiora habeat incommoda, <sup>c)</sup> a Legislatore, ceu profitetur ipse, adposita in poenam malignitatis, cur transcederit leges, ex quibus caute omnia agens nihil poterat damnificari, sed ex diuerso etiam quae sunt ex Falcidia lege, lucrari <sup>d)</sup>. Plura igitur ex hoc inuento HEINECCIVS colligere non debuisset, quam ipsi infunt, & propterea, quod delatam sibi hereditatem institutus sine periculo

B 2

adi-

<sup>a)</sup> L. vlt. C. de Jur. deliber. Nov. 1. cap. 2.

<sup>c)</sup> §. 6. in f. J. de hered. qual. & diff. Nov. 1. C. 2. §. 2.

<sup>b)</sup> Nov. 1. cap. 2. §. 1.

<sup>d)</sup> Sunt verba Iustiniani in Nov. 1. Cap. 2. §. 2.

adire potest, eoque mouentem rationem habet, cur metu damni hereditatem non repudiet, statim concludere, certe numquam institutum aditionem esse intermissurum. Nonne enim haec est conclusio a posse ad esse? Si inuentum beneficium omittere instituto non liceret, si quilibet institutus cum beneficio inuentarii hereditatem sibi acquirere deberet, nemoque pristina repudiandi libertate gauderet; tunc voluntate testamentum destitui non posset. Duram vero hanc conditionem imponere heredi, Imperatori in mentem non venit, imo ad oppositam speciem in ipsa lege simul respondit. Lubenter concedimus institutum minori periculo, adita cum inuentario hereditate, heredis nomen sibi comparare, sed ut sine commido illud gerat, recentissimo iure facile contingere potest. Forsan HEINECCIVS non cogitauit, ex nouissima lege, e) prohibitionem Falcidiae a testatore factam effectum foriri, nec quemcumque putare se lucrum, ut Imp. ait, non in percipiendo sed solummodo pie agendo, satis lautum habiturum esse, aut defunctum laudare, si, H O R A T I O ee) aucto-  
re, tabulas multum negatas

Accipiet tandem, & tacitus leget: inuenietque  
Nil sibi legatum, praeter plorare, suisque.

Neque enim videmus quare non eadem ex ratione, ex qua ante rogationem FALCIDII omittebant honorati aditionem, quia scilicet nil percipiebant, nunc etiam deductione a defuncto prohibita, hereditatem repudiare queant? Nonne enim detractione valide interdicta idem est, ac si numquam esset inducta? Atque haec fuit causa, quare IVSTINIANVS destituto testamento, si heres prohibitae Falcidiae ergo hereditatem non adiit, omnes tribuit vires, alias ad subeundam ex sua lege hereditatem, implendamque defuncti competentem voluntatem, inuitauit f).

### §. VII.

Sed hanc nostram opinionem in dubium vocabis propterea, quod I. CVIACIO, g) Viro summo, hanc IVSTINIANI dispor-  
fitio-

e) Nov. i. cap. 2. §. 2.

ee) Sermon. II, 5, p. 68, 69.

f) Nov. i. cap. 2. §. 2. in f. Disp.  
Sect. i. §. penult.

g) Explicat. Nov. i. cap. 2.

sitionem ad institutum qui hereditatem omisit, non pertinere, sed ad heredem integra legata praestare negantem spectare, statuere placuit, quam sententiam adhuc aliis rationibus L A V T E R B A C H I V S <sup>b)</sup> firmare voluit. Has ergo contemplari, & an praestans opinonis nostrae argumentum destruere valeant perspicere, necessarium esse videtur. Et *primo* <sup>c)</sup> quidem ait L A V T E R B A C H I V S, in dicta lege Imperatorem agere de herede, qui vel ob omissam inuentarii confectionem, vel prohibitionem testatoris, falcidiam detrahere nequit: hoc autem, pergit, de herede qui hereditatem non adiit c o m m o d e dici nequit, qui, licet falcidiam non detrahatur, tamen ex alia ratione quam ob inuentarium non confectionem, vel testatoris prohibitionem, id non facit. Sed quomodo haec inter se conhaerent non perspicimus: nam ut concedamus, poenam amissionis falcidiae ob inuentarii neglectam confectionem, ad heredem defensentem trahendam non esse, tamen quae obsint, quo minus altera species eidem applicetur, haud intelligimus. Neque enim de herede instituto præficationem onerum negante, sed in genere de valida falcidiae prohibitione locutus est Imp., quam legem, ut eleganter Fr. BALDWINVS, <sup>d)</sup> voluntati testatorum subiecit, eoque nouum induxit antea fere inauditum, ut quartae deductione a testatoris pendeat arbitrio <sup>e)</sup>. Haec prohibitio testamento quidem, siue viuo disponente, heredi renunciato facta sit, necesse est, sed ea testator plura haud effecit, quam voluntatem suam declarare: igitur an parere velit institutus, emolumentoque falcidiae orbatus hereditatem subire, pendet ab eius voluntate, neminem enim Imperator impedit, quo minus hereditatem omittat. Frustra ergo L A V T E R B A C H I V S in eo est, ut, de herede non adeunte verba legis non esse intelligenda, probare conetur, quippe FLAVIUS noster de herede adeunte vel non adeunte orationem haud compositur, sed tantum interdictioni deductionis a testatore factae, tantam vim tribuit, ut is qui res hereditarias consequi vult, necessario obtemperare debat interdicto. Atque hanc nostram sententiam Nouellae verba <sup>m)</sup> optime probant: *Si vero expressum designauerit* (defunctus),

B 3

non

<sup>b)</sup> *Diss. de testam. desiratur.* §. 53.

<sup>d)</sup> C VIAC. citat. explicat. Nov. I.

<sup>c)</sup> cit. *diss.* §. 53. n. 3.

<sup>e)</sup> 2. C. RITTERHVS. *Exposit. Nouel.*

<sup>k)</sup> In Iustinian. Lib. IV. pag. 389.

*method. P. VI. cap. 5. n. 9. seq.*

edit GYNDLING.

<sup>m)</sup> *Nov. i. cap. 2. §. 2. in fn.*

non velle heredem retinere Falcidiām, necessarium est testatoris valere sententiam: & aut volentem eum parere testatori, forsū etiam quae-dam iuste & pie relinquēti, lucrum in percipiendo, sed solummodo pie agendo ha'entem: & non videri sine lucro huiusmodi esse hereditatem: aut si parere noluerit eum quidēm recedere ab huiusmodi institutione, locum vero fieri (sicut dudum praediximus) substitutis, & cohaeredi-bus & fideicommissariis, & legatariis & seruis, & iis qui ab intestato sunt, & aliis secundum prius a nobis inuentam in talibus viam. -- Sed alterum prodeat dubium.<sup>n)</sup> Distinguere imperatorem, ait LAVITERBACHIVS, an heres testatori parere velit, qui falcidiām prohibuit atque voluntatem implere, an nolit; hoc ipsum aditionem supponere, & superfluum esse repudiata hereditate qua-  
stionem, an heres defuncto velit obediēre, putat. Et IVSTINIANVM ad utrumque respondisse casum,clare nos docent excitata verba, sed iisdem aliam aduersarius obtrudit mentem, si hanc obedientiam supponere aditionem credit. Verum enim de voluntatis ad-implemento ratione onerum heredi impositorum, quorsum lega-ta & fideicommissa pertinere testatur PAVLVS,<sup>o)</sup> plane locu-tus non est Imperator, vti perperam statuit aduersarius; sed in genere hic discernitur, an renunciatus heres, et si falcidiām deducere non permiserit defunctus, adire velit, an non. Hoc in casu ab institutione recedere potest, h. e. ad adeundam heredita-tem, ex qua forte nullum percepturus fuisset lucrum, non com-pellitur, sed liberam habet, institutionem agnoscendi vel omit-tendi, facultatem. Nonne vero si recedit ab institutione, testa-mentum deferit? Qua igitur ratione adfirmari potest, hanc Im-peratoris dispositionem de adita hereditate tantum esse intelligen-dam? τὸ parere voluntati h. l. nil denotat, nisi res hereditarias ita, prouti testatori placuit, adeoque sine quadrante falcidiae sibi comparare; ista ergo deductionis prohibitio instar conditionis est institutioni adiectae, nec aliam admittit interpretationem, nisi hanc, in testamento scriptum heredem, alio modo heredi-tatem adire non posse, nisi promittat se falcidiām ob defuncti interdictum non deraecturum. Etenim vel institutioni adpo-sita, vel saltim in testamento ita perscripta sint verba pro-hibi-

<sup>n)</sup> cit. disp. §. 53. n. 4.

<sup>o)</sup> L. 43. pr. D. de condit. & demon-stration.

hibitionis eum in finem necesse est, ut apertis tabulis pateat heredi, qua ratione hereditatem capere posuit, & utrum hoc modo res hereditarias consequi, an plane repudiare velit. Sed *tertia forsan CVIACII v)* ratio nobis magis obest, e verbis Nouellae deponita. Scripsit nimurum FLAVIVS noster: *aut si parere noluerit cum quidem recedere ab institutione, locum vero fieri . . . Graece: ἥ, εἰ μὴ βάλετο, οὐτὸς μὲν ἀναχωρήσει τῆς τοιάντης ἐξάπειρος, χώρων δὲ γενέσθαι . . .* Redeunt omnia ad verba *ab institutione recedere*, quea falsa dixit CVIACIVS & plane a mente Imperatoris aliena. Sed ipsum audiamus Virum summum: „*Αὐτὴν μὲν ἀναχωρήσει] hoc verbo non significatur repudiation. Nam repudiatione destitueretur testamentum & confessim vocarentur heredes legitimi: sed hoc significatur, ut a dita hereditate abeat is, qui plenam fidem in soluendis legatis defuncto non exhibet: quo casu non statim vocantur legitimi, sed substituti primum, deinde coheredes legatarii & caeteri secundum ordinem Nouellae.* „Haec ille. Sed pace manium tanti Viri, nobis videtur significatio & graeco ἀναχωρήσει, & latinis *ab institutione recedere*, iisdem verbis expressis ut in idiomate graeco inuenitur, tributa, & a mente Imperatoris, & ab indole vocis aliena. Etenim quantum scimus ἀναχωρέω graecis est quod latini per *dисcedо, recedo, secedо,* (vnde olim ἀναχωρίται quasi qui de mundo discesserant) exprimunt, atque adeo interpres veterus non alium obrudit verbo sensum, sed vero vsus est. Neque enim in aliis Auctōribus id tantum inuenitur, sed quod magis nostram probare debet opinionem, in aliis Nouellis eadem mente obuenit, vbi fieri nequit ut aliam significationem ipsi tribuamus. Ita legimus de monachis: *εἴτα ἀναχωρήσαι τῇ μοναστρὶ βαλήθεν – deinde a monasteris discedere voluerit q)* Pariter de clericis . . . ἡ παθ' ἁμαρτίαν πρόσωπον ἀναχωρέσαι πάντελῶς τῆς ὄγιατάτης ἐν ἡ καθεδαστὸν ἐκκλησίας . . . aut pro qualibet occasione recedunt orunino ex sanctissima in qua constituti sunt ecclesia.<sup>r)</sup> Et alio loco de donatione ante nuptias: *Ισμεν δὲ τι καὶ τοιέτου γειόμενον, ὅτι bona gratia δέξαντος διαλειπόμεν τῇ γάμῳ, καὶ ἀναχωρήσαν*

την

p)<sup>1)</sup> *Explicat. Nou. I. cap. 2. Confidentes inuenit Dion. GOTHOFRED. in not. ad d. l. & LAVTERBACHIVM alleg. disp. s. 52. n. 5.*

q)<sup>2)</sup> *Nouell. V. cap. 4. init.*

r)<sup>3)</sup> *Nouell. LVII. praef. sub fin.*

τὸν μὲν πέρι γάμου διερέτων εἰς τὸν γραμματεῖαν — — Nouimus autem aliquid etiam tale factum: & quia bona gratia viro dissolui matrimonio, & recedere donationem ante nuptias ad eum qui conscripsit<sup>s)</sup> — — Haec exempla sufficere arbitramur, cum ne unicum a CVIACIO ad probandam suam interpretationem adductum reperiamus: quibus accedit, interpres optimos AGYLAEVVM atque HOMBERGIVM, qui CVIACII opinionem non ignorauit, & certe tam facile falsam haud admisisset versionem, cum veteri exemplari redidisse verbum quod in controversia positum, per recedere; ita enim HOMBERGIVS, <sup>i)</sup> Sin nolit, ipse quidem recedat ab huiusmodi institutione, locus autem prout ante diximus fiat substitutis, &c. Et faciamus graecum vocabulum hunc sibi vindicare non posse sensum, prout tamen est, fundatam nihilominus haberemus intentionem, propterea, quod latinum idioma & receptum exemplar praxis agnoscit. Iam vero ab institutione recedere non facile quispiam de restitutione aditae hereditatis, nisi alia hunc sensum suadeant, intelliget, sed eam huic verbo vim inesse, ut repudiationem hereditatis concernat, optimus quisque profitebitur. Neque vero causam, quare hoc loco ea potestas verbo danda sit, perspicimus, contrarium potius ipsa lex nos condonet. Nam ut taceamus omissum ab Auctore Nouellae constitutionis τὸ debere aut posse, nobisque adeo vel hoc vel illud substituere esse relictum, in vtraque tamen specie non eveniet quod sibi visus est CVIACIVS. Qua enim ratione aliquem debere vel posse ab hereditate adita abire, dicere possumus, qui illam nondum est consecutus & nondum possedit? hanc vero speciem sibi formasse IVSTITI NIANVM paulo antea probatum dedimus, loqui scilicet Imperatorem de herede renuntiato cui falcidiae detracatio a testatore interdicta. Profecto nil denotant ista verba nisi, aut institutum debere abstinere ab hereditate sibi delata, si voluntati defuncti quoad deductionem falcidiae parere nolit, aut repudiata hereditate hoc modo institutum deserere posse testamentum, cum nullo modo ad subeundam hereditatem compelli queat. Atque hac ratione cohaerent omnia, imo necesse erat ut iis vteretur legis auctor verbis, cum nihil adhuc adesset nisi institutio a testatore facta. Tandem ex ultimis nouellae verbis: secundum prius a nobis

<sup>s)</sup> Nouel. XCIVIII. Cap. 2. f. 2. init.

<sup>i)</sup> Nou. version. Nouel. p. 23.

bis inuentam in talibus viam, hausit quoque LAVTERBACHIUS argumentum ad impugnandam sententiam nostram, <sup>v)</sup> scilicet ea esse de moroso herede intelligenda, quoniam in capite priori, de ipso locutus Imperator. Quibus tamen , cum satis a nobis alio loco <sup>x)</sup> factum, longius inhaerere nolumus. Neque nos soli Iustinianae legi hanc adscriptissimus mentem, idem iam fecit doctissimus Fr. BALDVINVS, <sup>y)</sup> cuius verba hoc transcribere nos non piget: „Sed redeamus, ait, ad id, quod hac constitutione prima traditur, & videamus sublata illecebra quadrantis, quomodo Iustinianus consulat testamentis. Nam si heres possit prohiberi ne vtatur Falcidia, adire nollet hereditatem: quam ut adiret, & testamentum conseruaret, lex Falcidia quadrantem dedit. Quid? an iam Iustinianus heredem coget, ut audeat, & se oneribus hereditariis implicit sine ullo commodo? Certe iniquum hoc esset. Nam & suis hereditibus Praetor dat facultatem abstinendi. Ac interdum quidem Praetor eum, qui suspectam dicit hereditatem, cogit adire, conseruando rum fideicommissorum causa. Sed eorum denum causa id fecit, quae sunt universtatis queaque ita restituuntur, ut omnes actiones simul transferantur, & heres plane exoneretur. At longe alia causa est legatorum. Quid igitur? An Iustinianus, herede non audeunte, patitur testamentum cum legatis intercidere? Atqui satius esset, Falcidiā vel iniuita testatore heredi relinquere. Vt breue faciam: Iustinianus fortasse, ut erat credulus, sibi persuasit, et si Falcidia nulla sit, non defuturos tamen heredes, qui legata exfoluant; neque summi iuris subtilitatem valde curat. Sed quemadmodum antea, ita nunc quoque, uno recusante desert conditionem proximo substituto, coheredi, legatario, heredi ab intestato tandemque etiam fisco: & quicunque vel quonuodocunque fiat heres, perinde legata & reliqua testamento comprehensa conseruantur atque si heres testamento scriptus adiisset. Lubenter his doctissimis meditationibus calculum subiicimus, et si per omnia nobis non placeant, quae IUSTINIANO verbis excarpa exipientibus obiecit idem BALDVINVS. Sed satis de his: certum est ob falcidiae prohibitionem institutum omitttere posse here-

v) alleg. disp. §. 53. n. 6.

y) in Iustiniano Lib. IV. p. 392. ed.

x) Disp. Sect. I. §. 43. seqq.

GUNDLING. adde. Gasp. SCHIFOR DECUPER. Lib. III. Tr. VII. qu. 2.

hereditatem, sive voluntate testamentum destituere, quamquam inuectum sit inuentarii beneficium: deserti vero elogii vires hac sacratissima lege FLAVIVS conservauit. Neque vero falcidiae prohibito vnicar causa est, quare quis inuecto beneficio inuentarii non temere possit hereditatem omittere, sunt adhuc aliae ex quibus hanc vnicam adducere iuuabit, si quis delatam hereditatem repudiat propterea, quod non sibi, sed creditoribus suis proficia foret: nam & lucrosam hereditatem omittere licet. <sup>2)</sup>

### §. VIII.

In determinanda vero deserti elogii natura & indole, et si hic pedem figere possemus, tamen an adlit destitutum testamentum, an fecus, cum in quibusdam speciebus ad definiendum difficile sit, istorum testamentorum quaedam hic considerare non esse alienum putauimus, siquidem ad demonstrandum nostrum argumentum, perspicciendamque deserti testamenti hodiernam causam, haec qualescumque meditationes iuuabunt. Etenim quaedam testamenta ad destituta pertinere non videntur, quae tamen per pensa eorum conditione omnino talia sunt: cui addere licebit, in uno atque altero certe destituto testamento, vires adeo esse claras, ut inde non leue praefidium nostra inueniat causa. Sit igitur prima quaestio: *Num testamentum cuius instituti heres transmissionis iure succedit, destitutis fit adnumerandum?* Ad hanc quaestionem in genere respondere non possumus, sed discernendum esse putamus. Interpretum plurimi IVSTINIANO duce <sup>a)</sup> hereditatem non aditam non transmitti ad heredes adfirmare solent, eodem tamen facem praeferebant, exceptions partim et iure antiquo, et recentiori partim desumptas regularisque debilitantes, subiungunt. Excogitarunt nomina quibus faciliori modo diuersas transmissionum species a se inuicem sciungerent, nec raro huius argumenti occasione in partes discedunt. Sed has iam non componamus lites, cum ad motam quaestionem respondendum sit. Iam si ponamus sententiam ex mente DD. regulam constituentem, si scilicet adita hereditas ad successores est transmissa, & *utroq; triuos* delationem testamento esse factam sumamus: non nisi negatiue

<sup>2)</sup> L. 6. §. 8. L. 17. D. si quis omisſ. caus. testam. L. 4. D. ad SCt. Trebellian.

a) L. vn §. 5. C. de caduc. tollend.

tive proposito argumento satis possumus facere: ne dicamus, vix operae pretium esse huius generis quicquam proferre. Etenim quo iure quaeri posset: an testamentum fiat destitutum, cuius heres aditam hereditatem ad successores deuoluit, si certum ex testamento institutum hereditatem adiisse? Statim igitur ad exceptionem transeamus, scilicet ad transmissionem nondum adita hereditate factam, vbi tamen, breuitatis ergo, Iustinianam ob deliberandi beneficium concessam, tantum considerare animus est. Fac igitur, institutum deliberantem, nondum finito anno ab hac luce migrasse, adde ipsi successores esse, reliquum tempus ad subeundam hereditatem antecessori testamento delatam, his ex Imperiali benevolentia condonatum est; b) in hos ergo hereditatem, vel potius facultatem ad subeundam intra praefinitum tempus iacentem hereditatem, deuoluit antecessor defunctus. Iam vero successores vel transmissam hereditatem adire, vel eam repudiare posse, ad intelligendum non difficile: viroque in casu testamenti tabulae, in quibus transmittens heres recitatus erat, herede nobis destitutione evidentur: quamobrem affirmando respondendum esse ad quaestionem motam putamus, scilicet oriri testamento destitutum, si quis ad successores hereditatem delatam deuoluit, siue illi subierint, siue recesserint. Adeſſe tamen heredem, opponis, licet instituti successor sit, adeſſe aliquem, aīs, qui adeundo, se illis, quibus ex testamento vel alia causa quicquam debetur, obligare cupit, ideoque tale deſtitutis accenſere testamento, abs te impetrare nequis. Et sunt profecto quae, testamenti tabulas deſtitutas vix esse nominandas, suadere videantur; verum paulo curatius re considerata, pronunciatam fententiam retraſtare dubitamus. Quousque enim nostra legibus firmata deſtituti testamenti notio c) locum ſibi vindicat, aliud quam quod complectitur adſumere nefas effert. Iam vero eam hic applicacionem pati ſi demonstrauimus, nonne tunc adeſſe testamento defertum probatum dedimus? Duplicem autem reperimus caſum, alterum ſi repudiauerant successores instituti heredis transmissam hereditatem, alterum ſi subierant hereditatem vi transmissionis e iure deliberandi descendantis. Ad priorem quod attinet, testamento in quo deuoluens heres scriptus erat ad deſtituta numeran-

## C 2

b) L. 19. C. de Jur. deliberand.

c) Disp. Sect. 1. §. 2.

randum, animaduerti facili negotio potest, nam institutum mors impedierat, quo minus hereditatem adire posset, eiusue successores, eti quidem desertionem tollere valuerint, voluntate tamen, nimirum repudiatione, eam effecerant testamenti conditionem. Restat ergo vltior casus isque paulo difficultior, si heres heredis vi deuolutae facultatis adeundi, hereditatem adiit: heredem nunc eum esse in dubium vocari nequit, inde tamen nondum sequitur, ipsum esse heredem ex testamento, quo antecessori delata erat hereditas, nosque adeo has tabulas falso destitutas nominalissemus. Vnius rei plures possunt esse causae. Atqui nobis ea est sententia, vt, licet heres adsit, vltima tamen voluntas destituae conditionem non amittat, nisi ab instituto ex tenore huius voluntatis adita sit hereditas. Hoc autem in casu, vbi heredis heres vi transmissionis adiit, cum non inueniamus, testamentum, in quo transmittens heres erat renunciatus, pro destituto necessario habendum est. Eadem ex ratione tabulas supremas defertis adnumerauimus, si heres institutus omisso testamenti causa, hereditatem ab intestato subierat: <sup>a)</sup> aderat heres, imo a Praetore coactus testatoris placita ad finem perducebat, prout in ceris scripta, <sup>e)</sup> & nihil secius testamentum erat destitutum. Sed abstineamus a similibus, hoc vnicum sufficit: quid igitur obest quoniam idem in nostra specie statuamus? Instituti successor fit heres, at quo iure? num ex testamento? num adit propterea, quod testator tanto ipsum repurauit honore dignum? Neutrum inuenimus: neque enim in testamento nomen est consignatum, neque ex illo additionem celebrauit aut confidere potuit: sed e legis specialis dispositione vocatus instituti vices adimpler, atque ex singulari Imp. munificentia, partes suscipit. Quemadmodum enim illi, quos deficiente instituto IUSTINIANVS ad adimplendam competentem deficientis voluntatem, constitutione sua invitauerat, vi huius legis, heredis, adita eum in finem hereditate, partes sustinebant, ipsumque elogium in integrum restituere non poterant (§. III.); ita & heredis heres, non nisi ex lege, qua, deliberandi spatio nondum finito, ex vita decedentis instituti in testamento successori, facultas adeundi tributa est, ad hereditatem ac-

<sup>a)</sup> Dip. Sez. I. §. 53.

<sup>e)</sup> r. z. D. si quis omisso. caus. te-  
pam.

accedit, sed desertum testamentum in integrum quasi restituere ne-  
 quit. Quae cum ita sint, nullo fundamento reperto, ex quo  
 testamentum destitutum abesse, adfirmandum, illud elogium,  
 cuius heredis heres ob transmissionem hereditatis adiit, desertum  
 manere, adhuc profitemur. Sed his forsan opponi posset, in-  
 stituti successorem transmissam hereditatem ideo ex testamento  
 occupare, quoniam ad adimplenda a testatore disposita est obliga-  
 tio: cum enim iure translationis succedat, deuolutis omnibus,  
 quae penes defunctum erant, iuribus pariter atque obligationi-  
 bus, delatam vltima voluntate hereditatem adeundo sibi adqui-  
 rendi facultas, in eum quoque transmissa sit, necessarium esse.  
 Prout ergo transmittens honoratus non, nisi ex vltimis tabulis,  
 additionem repetere potuisset, ita quoque, heredem illius, ex alio fun-  
 damento hereditatem translatam sibi acquirere non posse, eamque  
 ob rationem p[ro]estationes in testamento heredi impositas, suscipen-  
 das esse, aduersarii concluderent. Quae si a vero haud abessent,  
 vietas fane manus porrigit nobis effet reliquum, nondum tamen  
 res ad triarios peruenit. Nobis egregie placet, si quis heredis  
 heredem ad p[re]sta[n]da onera, antecessori in testamento imposta,  
 adigit, siquidem argumento nostro valde prodest, neque vero  
 hoc ideo contingere arbitramur, quoniam ex testamento heredita-  
 tem sibi comparat. Nos enim in Iustinianea lege ne vestigium  
 quidem reperimus, quo haec probari possent: *Eis quidem is,*  
 ait Imperator, *qui sciens hereditatem vel ab intestato, vel ex testa-*  
*mento sibi esse delatam deliberatione minime petita intra annale tem-*  
*pus deceperit: hoc ius ad suam successionem intra annale tempus exten-*  
*dat.* — — — *Sin autem instanti annuali tempore deceperit reliquum*  
*tempus pro adeunda hereditate suis successoribus sine aliqua dubietate*  
*relinquit, quo completo nec heredibus eius aliis regressus in heredita-*  
*tem habendam seruabitur.* In his quidem, institutum in testa-  
 mento, ex tenore ipsius hereditatem delatam adire debuisse, expre-  
 sum, simulque ius transmittendi constitutum, reperimus, heredis  
 vero heredem ex voluntate vltima additionem confidere debere,  
 frustra quaerimus. Neque enim verba: *hoc ius ad successio-*  
*nem &c.* hoc nobis suadent, cum tantum extensionem beneficii  
 deliberandi ad successors exprimant, neque sequentia: *reliquum*  
*tempus &c.* quae quidem subeundi tribuunt successori facultatem,

adeo tamen extendi nequeunt, ut aditionem ex testamento complestantur instituto necessariam, sed beneficij constitutionem modo concernunt. Hereditatem nondum aditam consequitur, quoniam defuncto delata erat, & ab eo non repudiata, cum perinde potius habeatur, ac si eam sibi iam comparasset. Ideoque leges, heredis heredem principaliter testatori <sup>f)</sup> non succedere, disserre adfirmant, nec prohibent quo minus successor instituti heres fiat, licet elogium ultimum falsum & inofficiosum dixerit, <sup>g)</sup> quod sane non admitterent, si ex testamento transmissam hereditatem acquireret. Nam is tantum qui de iure disputauit nec obtinuit indignus non est, nec repellitur, secundum P A V L U M <sup>h)</sup> ab eo quod meruit, sed retinet voluntatem defuncti, ceu P A P I N I A N U S <sup>i)</sup> loquitur, quod aliud non denotat, nisi percipere tallem id, quod e voluntate defuncti ei deberetur, ut egregie ILL. P U T M A N N U S <sup>k)</sup> hunc locum interpretatus. E contrario qui falso dixit aut inofficiosum testamentum, nec obtinuit, tamquam indignus amittit ea quae sunt a testatore relicta <sup>kk)</sup>. Manet ergo testamentum, heredis herede transmissionis iure succedente, destitutum, illique, imponimus onera, quae transmittenti facta aditione fuissent subeunda. Evidem in Lege hac de re diserte nihil est dispositum, sunt tamen quae, hunc successorem meliori iure antecessore suo haud perfrui, probent. Meliori vero frueretur iure, nisi adimpleret antecessori defuncti iudicio iniuncta, nec praefatis legatis, fideicommissis & libertatibus res acciperet hereditarias. Etenim plus iuri transmittens in successionem transferre non poterat, quam ipse habebat, <sup>l)</sup> quemadmodum heredem eiusdem esse potestatis iurisque cuius defunctus fuit, constat <sup>m)</sup>. Institutus autem, iamque transmittens, plura sane retinere non potuisset, quam quae praefatis omnibus reliqua fuissent, vnde heres ipsius ergo plura requirere posset? Praefat heres heredis omnia prout in ultimis tabulis cerisue sunt consignata, eas vero

<sup>f)</sup> L. 7. D. de his quae ut indign. auf. ibique D. GOTHOFRED.

<sup>g)</sup> L. 5. §. 7. 8. L. 7. D. de his quae ut indign.

<sup>h)</sup> L. 5. §. 1. D. eod.

<sup>i)</sup> L. 24. D. d. r.

<sup>k)</sup> Meletemat. Jur. Civil. Spec. I. (Lipf. 1771.) Cap. 6. §. 5. p. 30.

<sup>kk)</sup> Cf. Tit. Dig. de his quae ut indign.

<sup>l)</sup> L. 54. D. de diu. R. J.

<sup>m)</sup> L. 59. D. eod.

vero ad destitutas numerauimus, quid inde ergo, quam destitutum testamentum herede, viribus non esse destitutum?

### §. IX.

Ad aliam quaestione animum aduertamus, scilicet: *An testamentum, si substitutus instituti succedit, pro destituto sit habendum?* Paucis hic ad confirmandam negatiuam, quam amplectemur sententiam erit opus. Romanos substitutiones, praeter alias causas, ad impediendam testamentorum destitutionem introduxisse, <sup>n)</sup> constat, ut nimirum, primo instituto haud adeunte, in ultimis ceris nominatus, locum occupet vacuum, atque legitimos successores, & aerarium excludat: quamobrem iuris nostri architecti substitutionem, heredis secundi institutionem in locum deficients primi, describere amarunt <sup>o).</sup> Neque est quod quis distinguendum esse putet, an primo loco recitatus non potuerit delatam fibi hereditatem adire, an noluerit tanto frui beneficio, cum perinde habeatur in hac, quam in illa specie, & casus noluntatis contineat impotentiae casum, versaque vice, et si vnum alterue a testatore reperiatur expressus <sup>p).</sup> His igitur delibatis ad intelligendum difficile non erit, herede secundo existente, elogium haud evadere destitutum, cum testatoris ea fuerit voluntas, vt deficiente priori succedat, alter, atque secundus, existente casu, eadem adeundi facultate gaudeat, eodemque ex fundamento additionem conficiat, & testamento scilicet in quo nomen perscriptum erat, e quo priori fuisset celebranda. Adeunte vero aliquo vi eius testamenti, de cuius conditione queritur, destitutum illud nominari non potest, ratione deficiente necessaria, quare elogium defertum est. Haec enim in eo versatur, vi institutorum nemo ex testamenti tabulis hereditatem adeat; iam vero cum substituto in locum deficients prioris succedente, contrarium fiat, non possimus

<sup>n)</sup> Th. PAPILLONIUS de direct. hered. institution. Cap. 4. in Ev. OTTON. Thesaur. Tom. IV.

<sup>o)</sup> pr. J. de Vulg. substitut. L. 1. pr. L. 36. pr. L. 43. §. 3. D. de vulg. Et pupillar. substitut.

<sup>p)</sup> L. 4. pr. D. de Vulg. Et pup. substit. L. 12. D. de coudit. instit. L. 4.

C. de substitut. L. 3. C. de hered. instit. I. O. WESTENBERG princip. iur. dig. tit. de Vulg. Et pup. subst. §. 11. 12. Dissentit quidem Vl. HUBER prael. ad cit. tit. Dig. §. 1. ei tamen fatisfecit Chr. THOMAS. in Additionib. ad d. l.

mus non tale testamentum numero desertorum eximere. At si quis substituti successionem, priori non amplius existente vel impedito, non e substitutionis indole, sed e singulari lege peruenire ob verba IVSTINIANI q)<sup>o</sup> putaret: *Necessè est, dicentis, si quis solidam hereditatem non adierit, hanc si quidem habeat substitutum, ad eum si voluerit & potuerit peruenire?* Ei, quod iam alibi r)<sup>o</sup> diximus, nimurum ob successionis certitudinem, & vt nulla intuitu substituti super sit dubitum, hoc esse possum, cum alias legitimi successores disceprandi causam & speciem rationis inde decerpserent, si adeo certum non esset an deficiente primo substitutus admittendus sit, nec ne, esset opponendum. Et hanc IVSTINIANI fuisse mentem Nouella constitutione prima docemur, vbi: *Si vero institutio eam substitutionem habuerit: certum quia prius ad substitutum volentem venient omnes res secundum legem completem quae relata sunt: & sic illo volente tunc ad cohaeredes - - -*. In quibus, substitutum reliquis anteferendum esse, tamquam indubitatum principium possum est. Quapropter hanc quaestione diutius non moramur, cum, nobis haud monentibus, substitutis deficientibus, nec cohaerede existente, testamentum fieri destitutum, nemo non intelligat.

#### §. X.

Succedat ergo tertia quaestio, magis nodosa. *Num testamentum fiat substitutum, si heredis institutio pro non scripta habita est?* Evidem plurima Digestorum tituli, in quo, de his quae pro non scriptis habentur, actum, fragmenta, atque IVSTINIANUM eo loco, vbi ius hac de re constituit nouissimum, r)<sup>o</sup> magis ad legata spectare, quam ad vniuersas hereditates, verum est; eam tamen ob causam mota quaestio ieunis nec accidentibus adnumeraenda non erit. Etenim cui talis videtur, nos, & opiniones Interpretum, n)<sup>o</sup> qui dudum hunc titulum ad hereditates etiam applicarunt, & speciem in qua omnino obuenire potest, ut tota he-

re-

q) L. vn. §. 17. C. de caduc. tollend.  
r) Diff. Secd. i. §. 34.  
s) Cap. i. §. 3.  
t) L. vn. §. 2. & 3. C. de Caduc. tollend.

u) SCHILTER Exercit. ad Pand. Exerc. XXIX. §. 121. VOET. Com- ment. ad Pand. Lib. XXXIV. tit. 8. n. 3. LEYSER Medit. ad Pand. Spec. CUCXCVII. med. 7.

redis institutio pro non scripta habeatur, quae & a nostris non aliena temporibus est, si quis fibimet ipsi scilicet hereditatem alterius adscripsit, obiiciimus. Atque hacc ipsa species a SALVIO IVLIANO <sup>x)</sup> tractata est; in quantum enim fragmenti e libro LXXVIII. Digestor. defumti verba coniicere admittunt, iste ICtus sui temporis coryphaeus ex facto consultus est, vbi quis hereditatem sibi adscriperat. Verum deficit quidem narratio, quippe compilatoribus pandectarum quaestione propositam tantum servare placuit, responsum tamen a SALVIO nostro petitam esse, verba: *respondebit, & de qua me consuluiisti*, perhibent. Forsan ex facto substitutum est, an heredis institutio quam ipse fecerat aliquis, pro non scripta sit habenda, & si fieret, an substitutus admittatur an secus. Nobis enim sequentia alium non videntur admittere sensum: *Si quis hereditatem vel legatum adscriperit, quaeritur an hereditas vel legatum pro non scripto habeatur: & quid si substitutum habeat institutio?* Ad hacc IVLIANVS respondit: *Pars hereditatis, de qua me consuluiisti ad substitutum pertinet.* Quibus paucis vniuersae quaestione solutionem complexus; facile enim deductu, remotum esse institutum, quoniam alias secundus heres vocari non posset, cuius institutio exspirasset, adeunte primo <sup>y)</sup>. Neque vero IVLIANVS satis officio fecisse putauit, simpliciter quaestione decisa, eti responsum, teste SENECA, <sup>z)</sup> etiam non redditia ratione suam vim fuisse habiturum, sed talem e L. Corneliae augmendo ab amplissimo ordine profecto, petitam, adposuit. CORNELIVS nimurum SYLLA celebrem illam tulit, pertulitque legem Corneliam de falsis, quae, quoniam de falsis circa testamenta & nummos disponebat, saepius legis testamentariae <sup>a)</sup> & numariae <sup>b)</sup> nomine venire solet. Admodum vero sequen-

<sup>x)</sup> L. i. D. de his quae pro nou-

D. de publ. iud. MODESTIN. L.

30. pr. D. ad L. Cornel. de falf. VL-

PIAN. L. 6. §. i. D. de extraordinar.

crimin. §. 7. f. de iudic. publ.

script. habent.

<sup>y)</sup> L. 5. C. de impub. & aliis sub-

stitut.

<sup>z)</sup> Epistol. XCIV. De benefic. Lib.

VII. cap. 16.

<sup>a)</sup> vid. CICERON. in Verrin. I,

b) CIC. alleg. Verrin. I, cap. 42.

ASCON. PEDIAN. comment. ad CI-

CER. loc. cit. Isaac. CASAVENON ad

IVL. PAVL. receptar. Sentent.

Sueton. Caes. cap. 33.

V, 35. rubr. & §. i. MACER L. i.

quentibus temporibus Romae frequens ille erat mos, ut legibus, SCtorum ope pariter atque constitutionibus principum, variae fierent subrogationes, quibus breuis illarum dispositio vterius extenderetur, multaque vel omissa, vel nondum satis accurate determinata, supplerentur. Atque hoc etiam Syllae experta est rogatio, quae sensim ad alias falsi species extenſa est *c).* Quemadmodum ergo CALLISTRATVS in genere principalium meminit constitutionum, speciatimque Edicti D. CLAVDII *d)* ita quoque ICti, SCtorum ad eam legem confectorum mentionem fecere, *e)* & e tali IULIANVS in lege nostra rationem perii: En! ipsa Saluui verba: *Nam Senatus cum poenas legis Corneliae constitueret aduersus eum, qui sibi hereditatem vel legatum scripsisset, eodem modo improbabile videatur quo improbabae sunt illae;* qua ex parte me Titius heredem scriptum in tabulis suis recitauerit, ex ea parte heres esto; *ut perinde haberentur, ac si insertae testamento non fuissent.* Verum enim ipsa lex Cornelia hoc falso non teſtigerat, arque adeo, irrepentibus quotidie nouis heredipetarum illicitis fraudibus artibusque, ſigillariū hac de cauſa aliquid noui conſtituere, necessarium eſſe videbatur. Hoc autem SCto Liboniano factū eſſe, Noſtrumque illud intellexiſſe, recepta fere ſententia eſt, de quo SCto 1. 1. MASCOVIVS *f)* tam praeclare eleganterque diſputauit, ut nobis ne ſpicilegium quidem reliquerit. Non ſolum vero poenae meminit ICtus, quae hereditatem ſibimet ipſi adſcribenti infligitur, ſed & institutionis qualitatē determi- nare non omiſit. Nimirum poena legis Corneliae de falso irrogatur ex hoc SCto, ſicque in iſſulam, facta bonorum publicatio- ne, *g)* deportatur iſte heredipeta, cum ſub Impp. deportatio in locum aquae & ignis ſucesserit interdictionis, *h)* qua proprie C O R-

N E-

*c) Iac. GOTHOFRED Paratitl. tit. C. Th. ad L. Cornel. de falſ. T. III. p. 175. Ed. RITTER. Corn. van BYNKERSHOECK Obſervat. III, 18. Quid non ſatis apte per omnia SCto Liboniano adſcribitur MARCIL. ad §. 7. J. de publ. Iudic.*

*d) L. 15. pr. D. ad L. Cornel. de falſ. e) L. 15. §. 3. L. 27. L. 22. §. 1. 2. 9. n. 12. D. eod.*

*f) Disp. de his qui ſibi adſcrib. in refam. ad expl. SC. Libonianum & Ed. D. Claudio Lips. 1731.*

*g) L. 1. §. 13. D. ad L. Cornel. de falſ. §. 7. J. de publ. iudic. PAVL. Recep. Sent. IV, 7, 1.*

*h) L. 2. §. 1. D. de poen. L. 3. D. ad L. Jul. peculat. Iac. GOTHOFRED. ad L. 2. C. Th. ad L. Cornel. de falſ. T. III. p. 181.*

NELIVS legem firmauerat suam. Idque perhibent fragmenti verba: *Nam senatus cum poenas L. Corneliae constitueret aduersus eum qui sibi hereditatem vel legatum scripsisset.* In quibus eleganter vius est voce *constitueret*, <sup>hb)</sup> ad definendam poenae ad hanc speciem falsi translationem. Ultimis vero fragmenti verbis ratio redditiva est, quare putauit IULIANVS partem hereditatis ad substitutum pertinere, adeoque institutionem euanescere. Eam tamen simpliciter proponere noluit, sed more veterum Prudentum vius est figura, ni fallimur, metonymia; *Senatus*, ait, *eodem modo improbase videtur* (institutionem scilicet ita factam) quo *improbatae sunt illae: qua ex parte me Titius heredem scriptum in tabulis suis recitauerit, ex ea parte heres esto.* Talem ergo heredis institutionem comparauit IULIANVS cum heredis institutione capitoria, ceu illam romanis nominare placuit, quam sicut verba elegii satis commonstrant. Capitoriae vero institutiones, seu notante PAPINIANO, <sup>i)</sup> illae *quarum conditio confertur ad secretum alienae voluntatis*, ex SCto L. Iulie & Papiae Poppaeae adiecto, pro non scriptis habentur, <sup>k)</sup> adeoque institutio, quam quis sua manu fecit, pro non scripta habetur, & perinde est, utcludit IULIANVS, ac si testamento infra non fuisset. Eam igitur ob causam substitutus statim admittitur, cum, prima institutione delera, idem sit ac si primo loco nominatus esset.

### §. XI.

Properandum tamen ad nostra tempora, videndumque an hodie statuendum sit idem. *Perstrepunt adhuc quotidie fora nostra huiusmodi litibus, de adscriptione hereditatis vel legati sibi ipsi facta, verba sunt August. a LEYSER,<sup>l)</sup> que, nostram quaestione non esse ieiunam, satis probant. Et profecto non deficiunt hodie isti homines maleferiati, qui hoc modo alienas hereditates capere*

D 2

p. 181. ALEAND. ad Caii Inst. I, 6, 1.  
in Ant. SCHVLTING. Iur. Aureiust.  
p. 47. Ian. a COSTA ad f. 1. J. quib.  
mod. p. p. solv.

<sup>i)</sup> L. 70. D. de hered. inst. Corn.  
van BYNKERSHOEK de captat. instur. cap. IV.

<sup>k)</sup> L. 70. L. 71. D. eod. L. 64. D. de Legat. 1. cf. HEINECC. ad L. Jul. &  
Pap. Pop. III, 4. p. 391. seq.

<sup>l)</sup> Meditation. ad Pandect. Spec.  
CCCXCVII. medit. 4.

hb) Cf. Io. Fr. GRONOVII Observ.  
nation. Lib. I. cap. 1. pag. 12, seq. Edit  
Fr. PLATNER. (Lipf. 1755.)

student, quem ad illicitas heredipetarum artes, in quas tam curiose inquisiuit, numeravit idem experientissimus ICTUS <sup>m)</sup>. Observarunt tamen Interpretes, fora nostra non vbius rigidam iuris romani seruare dispositionem, poenam cessare olim constitutam, neque raro adscribentem legatum consequi <sup>n)</sup>. Ita enim laudatus LEYSERVS pergit: *In quibus tamen decidendis hanc regulam seruant ICti, ut si bona fides scribentis & voluntas defuncti liquido doceri possit, nec leges casum obuenientem expresse dantur adscribens a poena liberetur, atque legatum etiam sustineatur*. Sed alii contrariani amplectuntur sententiam legatumque saltim ei denegant, qui illud sibi met ipsi in testamento adscripsit, <sup>p)</sup> quorum opinio, cum principiis iuris recepti innitatur, cur relinquenda non perspicimus. Et ponamus LEYSERV M tibi placere, nihilominus statuendum fore falsarium hereditatem haud consequi, qui sibi eam adscripsit, cum hunc casum, vt Ipse vult, leges expresse damnent, et si facile nos adsentientes habebis, si poenam rigidam iuris romani nostra tempora ignorare putas. Licet enim inueniamus variis Imperatores falsi poenam interdum acriorem reddidisse, quod de CLAVDIO refert SVETONIUS, <sup>q)</sup> & LAMPRIDIVS de ALEXANDRO SEVERO, <sup>r)</sup> qui quidem Imperator Martialis quoque rescripsit <sup>s)</sup> amplissimum Ordinem vel diuos Principes veniam.

<sup>m)</sup> Spec. CCCXXV. medit. 25.

<sup>n)</sup> lo. VOET. Comment. ad tir. ff. de his quae pro non script. §. 3. Vlr. BVBER. Praelect. ad Pand. Lib. XXXIV. Tir. 8. §. 2. LEYSER medit. ad ff. Sp. CCCXCVII. med. 4. WESENBECK. ad Digest. h. t.

<sup>o)</sup> cit. Spec. CCCXCVII. med. 4.

<sup>p)</sup> STRYCK disp. de iur. Apostill. cap. IV. §. 7. qui legatum quod quis sibi ipsi adscripsit aliter non valere autem, quam si in apostilla confirmatum. add. EVND. in Vfu modern. XXXIV, 8, I. J. H. BOEHMER Doctr. Pand. titul. de legat. §. 8. Cf. Perilliustr. DN. I. T. CARRACH Entscheidung der Rechtsfr.: ob ein Vermächtnis, so denjenigen der eines andern Testa-

ment aufgesetzt, und solches durch einen andern ins reine schreiben lassen, darin zugeschrieben worden, ohne des Erblassers Apostill zu Rechte bestiehe? in Diurn. Halensib. de A. 1748. Nr. 13.

<sup>q)</sup> in vit. Claud. c. XV. „Proclamante quodam praecidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machaera, mensaque laniona, strigavit.“

<sup>r)</sup> in vit. Alexandr. Seuer. cap. XXVIII. Eum notarium qui falsum causae breuem in consilio imperatoris retralisset, incisis digitorum nervis, ita ut numquam posset scribere, deportauit.

<sup>s)</sup> L. 3. C. de his qui sibi adscrib. in testa-

niam raro t) dedisse poenae, quae his, qui sibi in testamentis alio-  
adscriperunt quicquam, ex L. Cornelia Diuique Claudi Edicto;  
irrogari solet; tamen exempla, vbi & ANTONINVS u) & ipse

D 3

ALEX-

testamentum, quam peculiari disputatione  
illustravit Casp. Achat. BECK sub tit.  
D. ad L. 3. C. de his qui sibi adscrib.  
in testam. de L. Cornelia testament.  
& Sc. Liboniano, len 1727.

r) Lineolis inclusa in multis editionibus Codicis haec vox reperiatur, propterea, quod, notarie L. CHARONDA not.  
ad d. L. 3. in quibusdam plane deficit, quod & de Halocandrina aliisque antiquioribus testatur MASCOV. cit. disp.  
§. 45. not. i. Ipse CHARONDA eam admisit quoniam Graeci, in primis Thalelaeus raro legile videtur, eandemque lectionem auctoritate Basiliacorum tuerit  
CIVIACIUS comment. ad d. l. Sed non tam ipsa Basilica Lib. LX. cap. 41. ventur restrictione, quam potius Scholastes adiecit: Raro autem Senatus vel  
Duci fratres veniant dederunt. Et ait Thalelaeus: quia ii ius ignoraverunt, non facile iis ignoscitur. At longe audacior est emendatio BECKII  
cit. disp. §. 33. qui non solum lineas, quibus τό raro includum cernitur, delet, sed & rejecta voce veniam, quia ineptam geminationem inoluhere putat, supplet  
non, ita ut nunc legendum: — amplissimus ordo, vel dini principes non raro dederunt. Etsi vero admittere possemus repetitionem verbi veniam paulo inconcinnam esse, vocemque in margine olim notatam in texturem irrepsisse, tamen ineptitudinem tantam non videmus, quantum sibi fингit BECKIUS, cum sensum plane non impedit. Sed delectantur, numquam vero nobis persuadentur doctissimus Vir negati-  
vum particulam, legis intentionem plena-  
re immutantem, admittendam esse, fal-  
sum ipsius rationes adductae id non euin-

cunt e L. 5. C. b. 2. & L. 15. §. penult.  
D. ad L. Cornel. de fals. petitae, in quibus militi, minorique XXV. annis poemam remissa fertur: quippe que magis pro nostra lectione, qua τό raro simpliciter admittimus, militant, & non nisi iusta ex causa interdum raroque poenam remissam esse probant. Deinde vero heic ad graecos prouocare non inutile est, cum ex illorum auctoritate non emendemus, sed antiquam veran-  
que lectionem tueri conamur. Eo magis quod scholastes ad THALELAEVM, prouocat, qui forsitan idem est, quem Veteres τῆς νομιῆς ἐφθάλλουν nominarunt. CIVIAC. Obseru. XIII. 33. quinque si Fr. BALDVINO protheor ad Nouel.  
Ios. Mar. SVARESIO in Notis. Basilica. §. 19. in I. A. FABRICII Bibliothec. graec. Tom. XII. p. 473. alius, cum STRYVIO hist. iur. Cap. IV. §. 1. & HEINECCIO hist. Iur. I. §. 402. fidem tribuis, Digesta κατά πόδα ver-  
tit, quam sententiam tamen refutarunt BOFMANN hist. Iur. III. 1. §. 3. not. c. & RITTER ad Heinecc. pag. 555. certe tamen Codicem εἰς πλάτος edidit, quod diserte tradidit Math. BLASTA-  
RES in praefatione ad syntagm. al-  
phabetic. specimen historiae iuris con-  
tinente, vii apud I. A. FABRICIVM  
in Biblioth. graec. Tom. XII. p. 370.  
legitur verbis: Θαλελαῖος νέστος τέτ  
κωδίνας εἰς πλάτος ἔνδεσθαι: Thale-  
laeus Codicem in latitudine edidit;  
vbi Ἀγριευτῶν legendum esse monet  
FABRICIUS in notis. De modo au-  
tem εἰς πλάτος vertendi, cf. ECK-  
HARD Hermeneutic. I. 7. §. 276.  
u) L. 2. C. de his qui sibi adscrib. in  
test.

ALEXANDER <sup>x)</sup> principali beneficio, indulgentia, veniaque impetrata, falsi poenam remiserunt delinquentibus, reperiuntur. Quid igitur mirum si hodie etiam, vbi falsi crimen arbitraria poena coerceri solet, tanta severitate in huiusmodi herediperatas non seuiatur <sup>y)</sup>. Sed haec de poena sufficient: magis nobis institutionis effectus curae est. Et hanc pro non scriptam hodie habendam esse putamus, nisi hac de re in prouinciis aliud statutum reperiatur, nam abrogatio iuris romanii, seu potius non obseruantia, liquido doceri nequit, atque ex quorundam DD. opinione contrarium adoptare, periculofum videtur. Num vero eam ob rationem testamentum pro destituto habendum? Nobis quidem ita non videtur. Verum enim heredis institutione pro non scripta declarata, perinde est ex mente IVLIANI ac si testamento non esset inserta, isque adeo, qui sibimet ipsis hereditatem adscripsit, hoc facto illicito hereditatem subeundi facultatem sibi tribuere non potuit, quemadmodum eam, nominis sui in tabulis ultimis nulla mentione facta, certissime non fuisse habitus. Quae si animaduertimus, heredisue institutionem quasi testamento haud insertam cogitamus, vigore illius falsarium additionem numquam celebrare potuisse inueniemus, pariter atque a nemine hoc fieri potuisse, quem supremum defuncti iudicium non renunciasset heredem. Sed id necessarium est, vt instituto in testamento adeundi potestas data sit, ipse vero postea impediatur, quominus ad effectum perducere queat voluntate defuncti, siveque destitutum euadat elogium. Nam si deficit prius, si perinde est ac si testamento non esset inserta heredis institutio, ac si nomen non esset expressum, quo iure falsario, adeundo sibi res hereditarias acquirendi, facultatem esse datam contendere possumus? quaque ratione adfirmandum, ipsum non adeundo testamen- tum destituere? Is sane, qui, vt ob additionem a se non celebratam destitutum fiat elogium, efficere vult, potestatem adeundi habeat necesse est; at haec ipsa in nostro casu deficit falsario, siveque, eum vel non posse vel non adire hereditatem, dicere non possumus. Neque ergo in ipsis persona, multo minus voluntate vi- tium latet, atque causa desertionis, sed in ipso testamento, in ipsa in-

<sup>x)</sup> L. 4. L. 5. C. eod.

<sup>y)</sup> cf. *Interpr. occasion. Artic.* (n) alleg.

CXII. & CXIII. C. C. C. & supr. not.

institutione deprehenditur. Alteram igitur habes rationem, quare tale testamentum desertum fieri negauimus, testamentum scilicet in istam conditionem detrudendum, tale tantoque vitio laborare, iura non admittunt nostra. Competens enim defuncti voluntas esse debet, siue ea, ut nuper nos dicere meminimus, quae neque quoad internam neque externam formam legibus aduersatur <sup>2)</sup>. Neque forsitan aliud iure nouissimo Iustiniane statuendum, cum antiqua iuris placita in hac re intacta illibataque custodierit Imperator, <sup>a)</sup> licet ad legata magis quam solidas hereditates respexisse videtur. Manent legata apud eos a quibus relictæ sunt, nisi vacuatis vel substitutis suppositis, vel coniunctus fuerit aggregatus, ad quos sine grauamine perueniunt. Quae scilicet si ad hereditates applicamus non omisla IVLIANI sententia, hereditatem pro non scripta habitam, vel ad substitutum vel ad coheredes vel denique ad successores legitimos peruenire statuendum est, idemque putasse MASCIVIVM <sup>b)</sup> reperimus.

### §. XII.

Iam ad ultimam accedamus quaestione & discutiamus: num testamentum dici queat destitutum, si hereditas instituto tamquam indigno sit ablata? Hic enim ea suboriri nequit dubitatio, an solidæ hereditas auferri possit, cum iam in L. Iulia & Papia Poppaea sit eius mentio facta, <sup>c)</sup> & in Digestis <sup>d)</sup> & in Codice, <sup>e)</sup> indigni heredes eruptaeque memorentur hereditates. Neque est quod quis variis ex causis usum huius tituli cum quibusdam Viris doctis <sup>f)</sup> in dubium vocare, adeoque motae quaestions utilitatem impugnare velit; cum, ut recte vidit MAEVIVS <sup>g)</sup> abrog-

<sup>2)</sup> cf. Disp. Seſſ. I. §. 23. p. 80.  
<sup>a)</sup> L. vn. §. 2. & 3. C. de caduc. tollend.

<sup>b)</sup> Landat. diff. ad SC. Libon. §. 39.  
<sup>c)</sup> Partis caducariae cap. 8. ex refiliatur. HEINECCIUS in commen. ad L. Jul. & Pap. Pop. III. 7. & c. 31. ex restitu. GOTHOFRED. in Quat. Fontib. Jur. Civil.

<sup>d)</sup> L. 2. pr. r. L. 3. L. 8. L. 19. D. de his quae ut indigno aufer.

<sup>e)</sup> Rubr. Codic. de his, quibus ut indign. hereditates auferintur &c. L. 4. eod. L. vn. §. 12. C. de Caduc. tollend. Pariter in Basiliensis legata & hereditates in inscriptione tit. 42. libr. LX. coniunguntur.

<sup>f)</sup> Ant. FABER Error. pragmat Decad. XXXVIII. crr. 10. CHRISTINAEVUS Vol. 1. Decis. 200. n. 17.

<sup>g)</sup> In Codic. Macian. Lib. VI. Tit. 34. decif. 4.

gatio vniuersalis doceri nequeat; quid? quod tituli vius in lege nostra prouinciali expresse firmatus reperiatur b). Iam ergo ad quaestione motam respondeamus, ita tamen ut adiecta distinctione fiat. Heres enim qui sese indignum adeo reddidit, ut ipsi auferenda sit hereditas vel iam adlit eam, vel minus. Vtriusque speciei exempla in legibus obvia sunt, cum & aditae hereditatis atque eripienda, i) & nondum aditae sed iacentis, a qua institutus repellendus, memoria exstet. Facillimo nunc enodari potest negotio nostra quaestio, atque perspici quando testamentum dici mereatur destitutum. In priori nimirum relatione cum semel adita hereditate heres ex testamento exstiterit, elogii defertio negandā nobis videtur, statuendumque potius indigno portionem patrimonii, olim ex hereditate adquiritam, esse ereptam, & ad fiscum vel personas quae capiunt erepticia, translatam, ideo tantum hereditatis nomine adhuc designatam, vt a reliquis indigni bonis separari queat. Posteriori vero in casu, in quo nondum adita est hereditas, sed vbi heres repellitur ab hereditate, ceu ICtis loqui placet, k) & quo minus voto testatoris satisfacere queat impeditur, destituitur elogium. Atque hic ex iure nouissimo memoranda venit singularis hac de causa constitutio, in qua instituto heredi tamquam indigno hereditatis aditio interdicta est, nihilominus vero testamento, ita destituto, vires apertissime sunt tributae. Etenim IVSTINIANVS inter causas exheredationis legitimas numerauit hanc, vt licet parentibus liberos suos ex heredes scribere in testamento restituta sanitate condito, si in furore ipsos neglexissent l). Hac occasione ad istum simul respondit casum, si quis ante furorem testamentum condidisset, in eoque filium vel alium heredem renunciasset, qui postea furiosum testatorem adeo neglexerit, vt extranei homines a testatore non honorati, ipsum misericordia dueti alere, & licet institutum certiorrem

b) Ordinat. Polit. Ducat. Magdeburg, cap. XLIV. §. 17. vbi SERENISSIMVS LEGISLATOR. Obgleich einige Rechtslehrer in denen Gedanken stehen, es sey der tit. Cod. de his, quibus ut indignis auferunt hereditas gar nicht mehr in der Uebung, soll doch in unserm Herzogthum Magde-

burg, weil selbiger Titul durch keine Reichsconstitucion noch durch eine sonderliche Satzung der hohen Landes Obrigkeit aufgehoben, nach dessen Inhalt jedesmal gesprochen werden.

i) v. c. L. 2. §. 1. D. b. t.

k) L. 2. §. 2. D. h. eod.

l) Nonell. CXV. cap. 3. §. 12.

rem de ea re fecerint, tamen perpetuo ad finem usque procurare debuerint. Haec dispositio egregie nostram firmabit caufam. Quid enim? mortuo testatore repellitur institutus tamquam indigens ab hereditate; extraneus, qui defunctum aluit, euacuata institutione vocatur; testamentum in furore demortui fit destitutum; retinet autem vim suam in reliquis institutionem haud concernentibus. Itane habes vires substituti testamenti lege noua confirmatas? Sed ita rem esse comparatam tibi persuadere ne quis propterea, quod allegata lex de testamento inofficio recentissimam iuris dispositionem continet. Accipe ergo paulo plenioram explicacionem. Duplicem excitato loco absoluimus Imperator speciem: Prima est, si quis in furore a liberis parentibus negligetus postea mente recuperata testamentum condidit; Altera si quis ante furorem ultimum suum composuit elogium, liberosque vel cognatos vel alios heredes scripsit, qui eum deinde insanum adeo neglexerunt, ut interpellati ab extraneis, ne ipsius quidem curam susceperint, sed extraneis eadem fungi lubenter permiserint. Speciem priorem huius loci non esse, quoniam ad causas exheredandi iustas numerata, haud negamus: Alteram vero de inofficiis querela intelligendam non esse, exinde iam manifestum est; quoniam tam ad eos quibus haec actio competit, quam ad alios extraneos heredes institutos pertinet, & defunctum negligentes non instituendi demum, sed instituti iam sunt. En ipso Nouellae verba: Si autem aliquo furoris morbo eum detentum extraneus aliquis viderit a suis neglectum liberis vel cognatis, aut aliis ab eo scriptis heredibus, & pro misericordia eum voluerit procurare; danus ei licentiam attestacionem eis qui ab intestato, vel ex testamento iam facto ad furioso hereditatem vocantur, scriptis dirigere, ut eum procurare festinent. Si autem post huiusmodi attestacionem neglexerint, & extraneus in suam dominum furiosum susceptum sumtibus propriis usque ad finem vitae ipsius procurasse monstratus fuerit: eum qui obsequium ac diligentiam furioso exhibuit, licet extraneus sit, ad eius successione peruenire decerimus, euacuata institutione eorum, utpote indignorum, qui furioso (sicut diximus) curam praebere neglexerint: ita tamen ut cetera testamenti capitula in sua manent firmitate.

E

ter-

<sup>m)</sup> alleg. Nou. CXV. cap. 3. §. 12.



terprete egeant: rationem quare ad testamentum inofficium trahenda non sunt, paulo antea proposuimus: destitutum vero testamentum esse, verba: *euacuata institutione eorum utpote indignorum, qui furioso curam praebere neglexerint*, perhibent. Etenim euacuatur institutio, si is, cui hereditas testamento delata, ab illa repellitur, sive adeundi potestas, quam institutione consecutus, ei tamquam indigno denegatur. Ademta vero subeundi facultate, ut testamentum necessario fiat destitutum sequitur, cum aditio ex ultimis tabulis fieri nequeat. Nihilo tamen minus adsunt manentque vires huius elogii saluae, & extraneus, in praemium misericordiae, ad hereditatem vocatus, tamquam scriptus heres omnia praefstat a testatore disposita. *Caetera*, ait Imperator, *testamenta capitula in sua manent firmitate*, atque in his vires destituti testamenti consistunt, sapienterque constitutum ne ulli a defuncto honorato malitia heredis damnum inferat. Habet profecto haec IVSTINIANI dispositio aliquid noui, quod ante illam numquam inualuit, nisi ob causam tamen ob euentum. Nam olim quidem D. PIUS maritum indignum decreuit referente MARCIANO,<sup>n)</sup> cuius negligentia factum, ut mulier, a qua heres institutus, moretur, quod decretum, ut & edictum D. CLAVDII, memoratum a IVSTINIANO<sup>o)</sup> atque MODESTINO,<sup>p)</sup> hoc non inconcinne retulit Iac. CVIACIVS,<sup>q)</sup> vi cuius, narrante SVETONIO,<sup>r)</sup> aegra & adfecta mancipia in insulam Aesculapii taedio medendi a dominis exposita, libera esse, nec redire in ditionem domini, si conualuiscent, sanxit: cui similem HONORII legem exposuit Iac. GOTHOFREDVS<sup>s)</sup>. Neque dubitamus, quin pro iusta olim exheredandi liberos causa a iudicibus habita sit tanta negligentia, quam inhumanitas in dominis puniatur, nam furor, ut notissimi iuris, non soluebat patriam potestate, etiamsi filius patri curator dari possit,<sup>t)</sup> quare IVSTINIANVS pie omnino egit, quod

<sup>n)</sup> L. 3. D. de his quae ut indigni auferunt. NOORDKERK disq. de Leg. Petronia cap. III. §. 13. p. 108. seq.

<sup>o)</sup> L. vn. §. 1. C. de latin. libert. tol. s) comment. ad L. 2. C. Tb. de Ext. lend.

<sup>p)</sup> L. 2. D. qui sui manumission. ad libert. peruen. <sup>r)</sup> L. 8. D. de his qui sui vel al. iur.

<sup>q)</sup> Explicat. Nou. XVIII. <sup>s)</sup> L. 2. L. 4. D. de curator. furios. <sup>t)</sup> in Claudio cap. 25. cf. Herm. Ch.

nunc talem exheredandi causam expresse constituerit. Sed haec iam non agimus. Mirandum potius nouam dispositionem **F L A V I I** ab Interpretibus Nouellae intactam fere relictam esse: manifestum tamen nobis esse videtur ipsius auxilio testamentum destitutum vires nancisci, atque in eo monstrare, ut in locum indigni vocatus, disposita deficientis praestare debeat. Quid enim aliud volunt termini legis: *cetera testamenti capitula in sua manent firmitate*, quam ea esse ad finem perducenda, quae defunctus legitimate, heredis institutione excepta, disposuit? Etenim *non manere in firmitate* aliam vim non esse tribuendam, exigunt alii in nostra lege passus, ubi eundem habet significatum. Ita enim loquitur Imp. de rescisso per querelam inofficiosi, a parentibus iniuste exhereditatis, testamento liberorum *legatis* — seu *alii capitulis sicut superius dictum est suam obtinentibus firmitatem*: <sup>x)</sup> hoc superius dictum ad antecedens caput trahendum, in quo authenticam huius vocis interpretationem in sequentibus: *Si vero contigerit in — testamentis legata — vel alia capitula — noninari, ea omnia iubemus adimpleri, & dari illis quibus fuerint derelicta, & tamquam in hoc non rescissum obtineat*, <sup>y)</sup> inuenimus. Arque alium sensum & in nostro passu verba non habent; expresse tamen haec Imp. monuit propterea, quod extraneus, beneficio legis ad hereditatem vocatus, ad ea non obligatus esse videbatur, quae olim testator heredi instituto iniunxerat. Praefstat igitur quae voluit testator, atque ex testamento destituto herede, voluntatem testatoris iustam adimpleret. Atque haec sufficiente specie ista, qua testamentum, ob negligentiam institutorum ademptione hereditatis nondum aditae punitam, destitutum est factum: nam monendum esse vix putamus parentes a liberis institutos eodem modo repellendos ab hereditate, <sup>z)</sup> quam nostra lex non tam ad sanguinis vinculum, quam ad institutionem solam respiciat. Supereft alius casus in quo ex eadem fere ratione institutione delera, hereditatem aliis dedit, eosque ad praestanda onera obligavit, Imperator. Si scilicet institutus heres, qui XVIII aetatis annum superauit, testatorem e-ca-

## E 2

*Ch. Lud. CREL obseru. de filio patris, aut matris curatore,* Vibeb. 1754.

<sup>x)</sup> *Nou. CXV. cap. 3. §. ultim.*

<sup>y)</sup> *Nou. CXV. cap. 3. §. ultim.*

<sup>z)</sup> *citat. Nov. cap. 4. §. 6. 7.*

infirmata heredis renunciatione, ecclesiae ciuitatis ex qua testator ortus, substantia hereditatis ad redimendos captiuos applicatur, caeteris tamen testamenti capitulis in suo robore permanentibus <sup>a)</sup>). Probatione testamentum fieri destitutum facile supersedemus, & vires clariores, quam ut demonstrandae sint, ceterumque hanc dispositionem instar Authenticae Codici <sup>b)</sup> esse insertam, notamus. Atque haec exempla nostram de testamenti destituti viribus opinionem egregie firmant, & ex iis, tantam vim hodie instituti heridis aditionem sibi vindicare non posse, ut ea neglecta omnis testamenti vis tollatur, & ab ea pendeat num quid ex tabulis ultimis praestandum, manifestum est. Singularis quidem est dispositio, attamen iis temporibus quibus proposita, inaudita non erat desertum testamentum vires habere, cum idem ante constitutum esset <sup>c)</sup>.

Sed haec pro instituti ratione sufficient; licet enim adhuc aliae, enodatisque adfines, quaestiones proponi potuissent, tamen his, ad monstrandam destituti testamenti indolem firmandamque nostram hac de' re sententiam, acquiescimus. Redeamus ergo ad vires destituti testamenti, atque, haud indignis notatis, reliqua dispellamus dubia. Paucos interpretum nostram sententiam am-

<sup>a)</sup> Nou. CXV. cap. 3. §. 13. Vbi:

Sed uniuersaliter iubemus, ut si ille qui in captivitate detentus fuerit, liberos non habuerit, & alii qui ad eius hereditatem vocati sunt, eum redimere non possintibus, in captivitate defunctus fuerit, nullus ex iis qui neglexerit, ad hereditatem eius perveniat, licet aure captivitatem testamentum forsitan ab eo fuisse scriptum, in quo memoratus personas scriptis heredes; sed bac quoque institutione heredum infirmata, & caeteris testamenti capitulis in suo robore permanentibus, substantiae latrum personarum simili modo ecclesie ciuitatum ex quibus orti applicentur, &

nullis aliis causis, quam in captivorum redencionibus expendantur. — Hoc eodem obseruando & si aliquam extraneam personam ante captivitatem scriptis heredem, & illa, sciens se ab eo heredem scriptam, eum redimere a captivitate neglexerit. Hunc autem poenam contra illos valere iubemus, qui octauum & decimum suacae atriarum annum compleuerint.

<sup>b)</sup> Authentic. si capituli C. de Episcop. & Cleric.

<sup>c)</sup> Etenim Nou. I. datu est A. 535. & Nouel. CXV. emanauit 141. ut ex subscriptionibus dicimus. Gta. si tubet. Diqui Secundi §. 14. motu sicuti presul

plectentes nos inuenisse, haud diffiremur, <sup>a)</sup> cum plerumque e destituto testamento clausula codicillari firmato legata praestanda esse, adserant: sed ex eorum consensu argumenta nostra firmare numquam animus fuit, satis perflua nostra Legum explicaciones, si veritate nixa, agmine DD. stipare non opus esse, sicuti ipsis reiectis, Interpretum aliorum auctoritas tanta non sit, ut eam sustinere queat. Dudum enim desierunt ea tempora, quibus septenarius DD. numerus, quenam sententia praeferenda decidebat <sup>b)</sup>. His igitur missis, adhuc quorundam argumenta videamus, quibus opinionem nostram falsam declarare volunt. Pandectarum scilicet veterisque iuris capita quaedam nobis obiciuntur, per Nouellam aut aliam constitutionem ipsis recentiores, ceu putant aduersarii, non abrogata. Et eorum quaedam in genere testamento destituto omnia corruere, <sup>c)</sup> & in specie tutelam testamentariam, exhereditationem, legata, libertatesque intercidere, <sup>d)</sup> defunctumque intestatum decedere, <sup>e)</sup> testari non negamus; sed, si plura quoque adessent, tamen nostram non relinqueremus sententiam. Quotquot enim in margine sunt leges adductae, illae Iustinianae hac de re nouissima constitutione sunt antiquiores, et si quaedam ipsum laudent auctorem: plurimae sunt e CAI, POMRONII, PAVLI, TRYPHONINI, aliorumque ICtorum libris, quorum aetate lex caducaria aut in summo erat vigore, aut saltim non adeo mutata ut iuris ciuilis oeconomia

E 3

mia

<sup>d)</sup> Praeter supra §. i. allegatos hic referri possent BALDWIN. *Iustin.* pag. 394. *Gusp.* SCHIFORDEGHER Lib. III. Tr. 7. qu. 2. *Sim.* a GROENEWEG. de LL. abrogat. ad L. 9. D. de zuel. testam. *Io.* VOET. *Comment.* ad Panil. L. XXIII. T. 3. §. 2. *Math.* STEPHAN. *Commentarii in Novell.* 2. §. 3.

*Gottl. Gerb.* *titulus in iuri priuari.* rom. german. Lib. VII. c. 8. §. 16. & in *Observation. ad Lauterbach.* Obs. 370. p. m. 585.

<sup>e)</sup> Quae fuit opinio *Aut.* Mar. CO-  
RATII de commun. DD. opinion. I. 3.  
29. constanter adserentis, septem DD.

ex antiquis, sc. Glossatoribus aut me-  
diis ICis, reperiatur necesse est, com-  
munem sententiam constitueri posse.

<sup>f)</sup> L. 181. D. de R. J. §. 2. I. quib.  
mod. restam. infirm. L. 17. D. si quis  
omiss. caus. testam. L. 2. C. eod. L. 1.  
C. de fidicommiss. §. 2. J. de L. Fal-

cid. & L. 73. D. eod.

<sup>g)</sup> E. 9. D. de restam. tutel. L. 20.  
pr. D. de honor. poss. cont. tab. L. 14.  
C. de Fideicommiss.

<sup>h)</sup> L. 64. D. de V. S. L. 1. D. de suis  
& legitimi Pr. §. 7. 8. J. de her. quae  
ab incolat. defer. L. 20. pr. De b. p.  
c. n. L. 12. §. 5. D. de bon. tit. L. 20.  
f. y. C. de Caduc. tollend.

mia aliter respondere admississet, quod de Imperatorum rescriptis itidem adfirmandum. Iustinianae vero leges partim ex Institutionibus, partim ex Codice sunt desumptae: in illis praesertim iuris antiqui stamna seruata deprehendimus, earumque archytrecti aliud quam quod in veterum Prudentium inueniebant scriptis non poterant exponere. Quibus accedit, Imperatorem declarasse, se nolle ut Pandectis quicquam de caducis inferatur <sup>1)</sup>. Atqui iure veteri heredis institutio basis atque fundamentum totius ultime voluntatis erat, testamenta vim ex heredis consequebantur institutione, <sup>k)</sup> ideoque aliter euenire non poterat, quin ea quae sequuntur, causa ruente, locum non haberent <sup>l)</sup>. Nemine igitur hereditatem subeunte omnis testamenti vis plerumque solubatur, ut PAVLVS <sup>m)</sup> ait, consentiente POMPONIO qui, si *ne  
mo hereditatem adierit nihil valere ex his quae in testamento scripta  
sunt, n)* profiteretur. Interdum vero & hanc iuris antiqui regulam Romanos stricte non obseruasse, edictum Praetoris, si quis omis-  
sa causa testamenti ab intestato hereditatem possideat, probare potest. Si quis enim, ob legata non praestanda, testamenti causa omisit, hereditatem profecto ex ultimis tabulis non adiit, qualem tamen laudati ICti intelligunt additionem, nihiloque minus ea quae defuncti iudicij ergo debentur, praestanda sunt, <sup>o)</sup> quem casum & exceptionis instar adducere debuit LAVTERBA-  
CHIVS, <sup>p)</sup> eum vero hodie, salua nostrae Nouellae constitutio-  
nis interpretatione, locum habere posse Math. STEPHANI <sup>q)</sup>  
monstrauit. Tantum vero abest, ut eos taxare velimus viros, <sup>r)</sup>  
qui

<sup>i)</sup> Constitut. TANTA de Confirm.  
Digest. §. 6. cf. Disp. Sccl. I. §. 33.  
not. d).

<sup>k)</sup> §. 34. J. de legat. VLPIAN.  
fragm. XXXV. 15. IUL. PAVL. recept.  
sentent. III. 6. 2.

<sup>l)</sup> L. 129. §. 1. D. de R. J. L. 178.  
D. eod.

<sup>m)</sup> L. 181. D. de R. J. Cf. JAC.  
CIVAC. Observat. III. 6. & VII. 18.

<sup>n)</sup> L. 9. D. de testamens. turel.

<sup>o)</sup> r. t. D. & C. si quis omis. caus.  
test. cf. Disp. Sccl. I. §. 33.

<sup>p)</sup> De testament. destitut. cap. t.  
§. 19.

<sup>q)</sup> Commentar. ad Nouel. I. §. 43.

<sup>r)</sup> Huc referendi in primis lac. GOTHOFREDVS, lac. RÆVARDVS, Iul.  
ABEYMA in commentar. ad cit. L.  
181. D. de R. J. Io. GOEDDAVS  
Comment. ad L. 64. D. de V. S. p. m.  
651. quibus iungenda I. B. d'ANTOIN  
NE explicatio legis 181. de R. I. quae ha-  
betur in libro franco-gallico cui titulus:  
*Les regles du Droit civil Eccl.* (Lion  
1710.) 4to. Adscribere licebit verba  
hoc

qui principio antiquo adoptato, ita P A V L V M explicarunt, ceu sui temporis ratio exigebat, vt omni potius laude digni sint, propterea, quod rationem perscrutarunt. Verum enim vero, alia iure nouissimo I V S T I N I A N O mens de aditionis effectu fuisse videtur, vt puta non omnis ab ipsa pendeat testamenti vis & potestas <sup>1)</sup>. Nam antea iuris antiqui subtilitas in consignandis testamentis ipsi displiceret, ex qua legatum ante heredis institutionem relictum deficiebat, quasi extra testamentum esset, affirmante THEOPHILO,<sup>2)</sup> atque contrarium sanxerat, vt nemini postea hanc ob rationem defuncti supremum iudicium liceat subuertere <sup>3)</sup>. Magis autem hoc, notatu dignissima lege, qua cedula ab orbe romano, restituto ordinatoque iure adcrecendi, reclusit, efficere voluit, qua successores legitimos, solda hereditate non adita, fisco praelatos, ad subeunda praestandaque onera lucro a disponente imposita, obligauit <sup>4)</sup>. Tandem e nouella constitutione prima apertum est, heredis institutionem haud securam, competentem deficientis voluntatem inurilem non reddere, viribusque destitutam. Unica F L A V I I intentio est, vt quae disponitae sunt a morientibus impleantur, quam postea iterum declaravit verbis: *Disponat itaque unus quisque super suis, ut dignum est, Et sit lex, eius voluntas: sicut Et antiquissima nobis lex Et prima pene reip. Romanorum disponens ait, (dicitur autem duodecim tabularum) secundum antiquam Et patriam linguam ita dicens: vii legassit quisque de sua re ita ius esto, nullo valente crita illius voluntatem, nec si sacram impetrat fornuam, nec si quidpiam aliud omnium, aliquid aliter disponere in rebus alienis <sup>5)</sup>.* His obseruatis rationem, quare

no-

huc pertinentia, cum forsan omnibus ad manus non sit: *La raison de cela* (quod nimirum nemine adeunte testamentum non sublifstat) est, que nul testament ne peut se souenir comme testament sur tout dans le provinces de droit écrit, s'il n'y a un heritier homme, Et si cel heritier n'accepte l'herie: — Il y a donc deux Principes certains parmi nous, dont l'un est la suite de l'autre: Nulle succession ab intestat lorsque le testament subsiste: Nulle testament si l'heritier n'accepte pas l'hoi-

rie. D'où il s'en suit selon la Jurisprudence ancienne, qu'un testament étant nul par le défaut d'acceptation, tout le contenu au testament est parcelllement.

<sup>1)</sup> Cf. Disp. Sect. I. §. 45.

<sup>2)</sup> Paraphr. §. 34. J. de legatis.

<sup>3)</sup> L. 24. C. de testament. §. 34. J. de legat. ibique THEOPHIL.

<sup>4)</sup> L. pn. §. 6. 10. 13. de caduc. tolend. cf. Disp. Sect. I. §. 35. seqq.

<sup>5)</sup> Non. XXII. cap. 2. pr.

nobis ICtorum responda & reliqua in iure veteri fundata capita  
oppoñenda, non perspicimus. Si vero putes, hereditatis aditio-  
nem adesse saltim debere, et si quoque ex testamento non fiat, &  
ex ea vel edictum praetoris, vel legem IVSTINIANI de cadu-  
cis explicare; hoc tibi largiri possumus, cum & testamentum de-  
stitutum maneat, & idem in nouissima deprehendamus constitu-  
tione. Etenim substitutos, fideicommissarios, legato libertate-  
que honoratos, successores denique legitimos atque filium, a de-  
functo disposita, ad effectum perducere debere, si profitemur;  
id tamen non nisi facem praeferente Imperatore fit, supra voca-  
tos ad adeundam eum in finem hereditatem, praestandamque de  
adimplenda voluntate defuncti cautione, vocante. Adeunt iacen-  
tem hereditatem, sed beneficio legis, non ex testamento, non e  
defuncti iudicio, sed imperiali benevolentia: praestant in tabulis  
destitutis signata quasi heredes instituti essent, et si numquam ta-  
les fieri potuerunt <sup>2)</sup>.

#### §. XIV.

Restat ut alteri dubio, ipsum scilicet Imperatorem, defun-  
ctum intestatum deceſſisse, legitimosque successores hereditatem  
consequi, adfirmare, obuiam eamus. Prius e iam traditis facile  
potest diſſolui, scilicet conclusionem necessariam e principiis iuris  
antiqui conficit, eoque brevibus id expressum est, quod late ICti  
exemplis monstrarunt. Etenim ultima voluntate nihil efficiēt,  
nonne perinde est ac si intestatus deceſſisset defunctus? sed mu-  
tato principio, quae sequuntur vix possunt consistere. Sed ne an-  
tiquiori quidem iure, semper & ubiuis nobis opposita ratio dubi-  
tandi locum habuit, interdum potius ab eo iuris rigore defle-  
xum est. Deinde vero, si legem quoque recentissimam spectare  
nollemus, tamen aliud iure Codicis statuendum, cum, lege de  
caducis IVSTINIANI rite explicata, eum, cuius elogium de-  
fertum est, heredis institutione excepra, intestatum deceſſisse, ad-  
firmari nequeat. Nam reliquae ex quibus contraria sententia di-  
ci posset, constitutiones, laudata Iustinianae sunt antiquiores, &  
ex illius tenore a Compilatoribus interpolandae fuissent atque  
emendandae. Institutionibus autem atque Digestis, de his

<sup>2)</sup> cf. Supra §. 3.

mutationibus quare nihil inferere potuerit volueritque; & ipse dixit, & temporis ratio probat. Tandem nouissimam legem si sequimur, vi cuius ne successores quidem legitimi statim vocantur, vt taceamus, testamenti capita salua esse, magis adhuc derelinquenda est iam satis refutata aduersariorum opinio. Ad alterum vero quod attinet, successoribus nimirum legitimis, deficiente substituto, solidam hereditatem non aditam deferendam esse. Pariter id e temporum varietate aestimandum, & e proxime antecedentibus, si probari potest, fluit. Nam si res ad causam intestatam redibat, necessario successores legitimi, nisi a fisco excludebantur, res capiebant hereditarias. Quam successionem, solida hereditate non adita, huc vsque fluctuantem, determinauit IVSTINIANVS ea lege, quam in primis dissentientes adducunt, a) ita quidem ut certum nunc sit, legitimos successores fisco praferendos esse. Hunc autem succedendi ordinem lege nouissima mutauit iterum, atque adeo ad antiquorem prouocare nefas esset: quamobrem & haec obiectio nullam amplius vim habet. Ad postremum denique, quod a quibusdam nobis opponi deprehendimus, varia scilicet iuris Digestorum capita nostram de testamento destituti viribus opinionem inutilia reddere, vix respondemus, cum, si ad hoc respicere vellemus, successionem, vt exemplo vt amur, antiquam adhuc retinere necessarium esset, de qua tot tantaque iuris antiqui fragmenta agunt, posteaquam eis per leges recentiores surrogatum est.

Haec cum illis, quae nuper de Nouellae constitutionis prioris indole disputata sunt, si coniungantur, facile tibi erit ad perspicendum, hanc legem de destituti testamenti viribus aliquid constituisse, atque contradicentium argumenta, ex antiquo iure maxime sumta, adeo firma non esse, ut dispelli nequeant. Quousque enim illud MODESTINI <sup>aa)</sup> verum est, constitutiones tempore posteriores, potiores esse his, quae ipsas praecesserunt, eo vsque Nouellae ratio vetustioribus praferenda erit in nostro  
ar-

a) L. vn. §. 13, C. de caduc. tollend. aa) L. vlt. D. de Conf. Princip.

argumento. Si vero, omnibus iuris Iustiniane libris parem in Germania vim tribuere vis, propterea, quod pari ratione recepti, neque eorum discrimen doceri potest; tantum abest ut hoc tibi proficiat, vt potius maximas efficiat difficultates, atque inextricabiles ambiguitates. Etenim tunc sibi leges e diametro oppositae sunt, nobisque priuatis viam eligere non licet, sed vnicce supereft, Principem adire, a cuius augustissima perennitate, SYMMACHO<sup>b)</sup> auctore, penderit, sequenda iubere. Ad eum, tamquam fontem legum pertinet iniquum emendare, obscurum, ambiguum arque inextricabile enodare & explanare, & casus non decisos nouo iure indubitatos reddere, vt Imperatores olim locuti sunt <sup>c)</sup>.

### §. XV.

Manet ergo nostra sententia testamentum destitutum, destitutum viribus haud esse, non accidente medio, quale, secundum Interpretes, clausula codicillaris est, sed per se, & vi saepe laudatarum legum IVSTINIANI recentiorum, in quibus vniuersam rem aliter quam olim constituit. Neque enim nobis illorum <sup>d)</sup> arriderit opinio, qui, ad probandos deserti elogii effectus, ad aliam FLAVII legem, <sup>e)</sup> & ad Authenticam <sup>f)</sup> prouocare solent, inde que regulam, excepta heredis institutione cetera firma manere, deducendam esse putant. Enimvero longe aliud vtriusque legis verba perhibent, cum ab iis laudata nouella constitutio non de testamento destituto, sed de rescisso per querelam inofficiosi disponat,

<sup>b)</sup> Lib. X. Epift. 63. add. Ep. 32.  
Lib. X.

<sup>c)</sup> L. 1. L. 9. L. 11. L. vlt. C. de Legib. L. 2. §. 18. L. 3. §. 15. C. de Veter. tur. encl. Nou. CXIII. c. 1. Ant. SCHVLTING pro resp. Imperat. §. 3.

<sup>d)</sup> In quibus & supra laudatus D'ANTOINE expl. L. 189. D. de R. J. vbi: Mais Iustinian (Authentic. ex cau- fa Cod. de liber. praeterit. & Nou. 115.) a change cet usage, ordonnant, que si

par faute d'acceptation le testament devient nul, destitutum herede, les legs & autre dispositions y contenues, laissent pas de subsister; & c'est de cer- te authenticite que les Docteurs ont tire la maxime, cetera firma manent, sur tout lorsque le testament est mu- ni de la clause codicillaire.

<sup>e)</sup> Nou. CXV. cap. 3. & 4.

<sup>f)</sup> Aushent. ex causa C. de liber. praeterit.

niat, illiusque vim determinet, atque Authenticam ex ipsa excerptam esse, nec ad aliud pertinere, inscriptio & contenta abunde probent. *Ex causa audit Authentica, exhereditationis vel praeteritionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones: cetera namque firma manent.* Rescissum vero per inofficiosi querelam testamentum, ad destituta propterea haud numerandum, quod heres institutus hereditatem adierit necesse est, si inique exhereditati illum pulsare cupiunt <sup>a)</sup>. Ceterum id largimur, laudatam Nouellam IVSTINIANI mentem de effectu heredis institutionis illustrare, tantam nimis non amplius vim habere atque potestatem, ut ea omisfa vel euacuata reliqua testamenti capita corruant. Si qua lex igitur ad confirmandam sententiam nostram alleganda, in primis toties excirata Nouella prima erit. Sed iam ad finem libelli properandum. Nihil restat nisi singularia quaedam, in testamentis quae inueniri solent brevibus considerare. Igitur quod ad heredis attinet institutionem, eam, siue sit prima siue secunda (§. IX.), cessare, per se patet, dein vero, exhereditato ab hereditate penitus arcessito, honoratos ultimo iudicio legem vocare, quos legitimi sequuntur, usque tandem, nemine priorum superstite, fiscus agmen claudit, Nouellae verbis abunde docemur. Etenim exhereditatus ex mente IVSTINIANI <sup>b)</sup> propterea repellitur ab hereditate, quod ab ipso testatore est repulsus propria substantia, atque suprema voluntas competens exactissime implenda. Reliqui vero omnes ad adeundam iacentem hereditatem ab Imp. vocantur, si possunt, volunt atque cautionem praefstant, de adimplendo supremo defuncti iudicio. Pendet ergo a cuiusvis arbitrio, an defendantis locum, quatenus scilicet fieri potest, replere velit, an non, neque enim horum quemquam si recuseret, relictum in testamento, in poenam quasi neglectas benevolentiae imperatoria, amittere putamus: sed placet magis, quam VOETIVS <sup>c)</sup>

F 2

quo-

<sup>a)</sup> cf. si libet PRAESID. historiam inv. civil. de legitima porione parent. sub praesid. Perillustr. D. NETTEL. BLADT defensam. §. 32.

<sup>b)</sup> Nou. I. cap. 1. §. 4. vid. sect. 1. §. 47. p. 87.  
<sup>c)</sup> Commentar. ad Pandect. XXIX. 2. 17.

quoque tuetur, sententia, renitentibus salua manere legata aut fidei-commissa ipsis relicta, eaque a sequente adeunte esse praestanda. Etenim ipsa lex de ademtione nihil disponit, imo contrarium atque adeo quod profitemur, ipsius argumento haud difficile est ad demonstrandum. Scilicet omnes vocati defuncti voluntatem adimplere sunt obligati, eamque ob causam & satisfactionem praestant; hoc autem aliter fieri nequit nisi solutis a defuncto adituro impositis; fac igitur legitimos successores, renitentibus legatariis atque fideicommisso honoratis & reliquis quorum mentionem tabulae fecerunt, ad hereditatem accedere eamque sibi adeundo adquirere, superflua esset cautio, qua demum interposita admitti, nisi legatariis aliisue quibus emolumenta sunt relicta satisfacerent. Si quis enim a quadrantis Falcidiae legis iactura, ad nostram concludere vellit speciem, profecto, nostro iudicio, errarer, cum huius plebisciti beneficium ad neminem nisi institutum oneratumque pertineat, illique propterea denegatur ab Imp. quod voluntatem deficientis non adimpleuit, sed ab institutione recessit <sup>k)</sup>. Aditionem ergo recusantes legatarii vel alii inuitati, nihil amittunt nisi hereditatem reliquam, siue quae praestitis omnibus superfunt, accipiunt autem emolumentum ab adeunte, qui praeter id, quo a testatore honoratus, si ad tales pertinet, quod solutis legatis & reliquis remanet, consequitur. Ipsae vero praestationes exacte, ut in testamento sunt prescriptae, ad finem sunt perducendae atque effectum, nec priuilegii instar intuiu legati cuiusdam adspiciendum, si e testamento destituto praestatur, nobisue ad limitationes, restrictiones, exceptions, & quae sunt in eodem genere cum LAVTERBACHIO <sup>l)</sup> aliisque confugere, opus non est. Sunt enim, qui cum Andr. TIRAQVELLO, <sup>m)</sup> Hug. DONELLO, <sup>n)</sup> LAVTERBACHIO, <sup>o)</sup> legata ad pias causas singulare iure ex testamento destituto esse praestanda, putent, atque id ipsum ad piarum causarum priuilegia referunt, adductis eum in finem quibusdam iuris capitibus, quorum in primis argumentis illud

<sup>k)</sup> Nou. 1. cap. 1. §. 2.

<sup>l)</sup> saepe allegat. disp. cap. 1. §. 15-27.

<sup>m)</sup> de priuileg. piar. causar. priu.

23. & 76.

<sup>n)</sup> ad L. 14. C. de fideicommissis.

<sup>o)</sup> loc. cit. §. 18.

Iudicere conantur. Spurium vero hoc iudicauit priuilegium  
**I. H. BOEHMER, p)** atque reiectis dissentientium rationibus,  
negavit legata ad pias causas e testamento ab herede deserto ef-  
fe praefanda. Nos quidem in eo cum Viro magno consenti-  
mus, piis causis nullum hac in re priuilegium competere, ne-  
que adfirmantium argumenta tanta esse, vt probanda probent,  
ipsam tamen legatorum talium praestationem in dubium non  
vocamus. Nam si in aliis rebus testatorum iustae voluntates  
sunt seruande, quare non idem in legatis piis obseruandum,  
quorum fauor in iure nostro nihilominus insignis est? Praestan-  
tur ergo ut reliqua ad effectum perducuntur. Neque aliud de  
ceteris legatorum speciebus, sive singulare iure munitae sint, sive  
non, adfirmandum esse censemus; scilicet aut ipsi legararii he-  
reditatem adeentes sibi satisfacere, aut ab aliis adeuntibus prae-  
stationem expectare possunt. In primis hoc fatendum esset in iis  
quaer magis assertiōnē quam dispositionē defuncti continent.  
Cumque fideicommissa particularia legatorum iure nunc aesti-  
mari soleant, de iis plura adiicere nolumus.

### §. XVI.

Ratione fideicommissorum vniuersalium nostra constitutio-  
ne antiquum ius in eo mutatum esse arbitramur, non amplius, ac  
olim, cum ipsi fideicommisso honorato, hereditatem adire liceat,  
in casu si fiduciarius testamentum destitueret, directe institutum,  
vt adeat atque restituat hereditatem, cogendum esse. Olim sci-  
licet ex SCto Pegasiano, VESPASIANO imperante PEGASO  
& PVSIONE Coss. suff. condito, teste IVSTINIANO q) hered-  
es, qui restituere hereditatem erant rogati, a Praetore, deside-  
rante fideicommissario, ad additionem arque restitutionem adigi  
poterant, ita tamen ut nec commodum inde nec onus sentirent

F 3

vl-

p) *Diff. de priuilegiis legatorum  
piorum genuinis & spurii* (Hal. 1716.)  
C. II. §. 2. in *Exercitat. ad Pandect.*  
T. V. p. 207. cf. EIVSD. *Ius ecclesiast.*  
*protestant.* Lib. III. Tit. 26. §. 39.

q) §. 6. *J. de fideicommissar. hered.*  
VLFIAN. fragment. XXV. 16. L. 45  
D. ad SCt. Trebellian.

villum. Quam ergo ob rem fideicommissarius has ambiguitates exspectet cum ipse libi satis queat facere? *Licentia*, dixit Imp. *praebatur* - & fideicommissariis adire & haec acquirere: & paulo post: etenim in legatariis & fideicommissariis hunc esse volumus ordinem ut detur *licentia aditionis priori per universitatem fideicommissario* <sup>1)</sup>. Fatendum omnino singulare quid hanc complecti dispositionem propere, quod is quem testator oblique renunciat, nunc directe hereditatem capit, quam ob causam excusationem profert Imp. <sup>2)</sup> licet hanc ob rationem deferti testamenti indolem cessare adfirmandum esse non putamus. Atque eandem opinionem late doceque exposuit *Gasp. SCHIFORDEGHER* <sup>3)</sup>. Ceterum vero aduersus eum, qui iacentem hereditatem adiit, tendunt omnes actiones, quemadmodum illi competunt, vocatos enim *tanguam* heredes omnia gerere & conuentos & conuenientes dixit Imp., <sup>4)</sup> ab eo pertant legata necesse est, quasi heres esset, quippe huius suscepit onus: neque legatariis, vt in iis tantum subsistamus, aliis actionibus opus esse, quam ordinariis putamus. Agunt ex testamenti tabulis, quarum tenor exactissime seruandus & ad finem perducendus, atque pertinet quod relictum ab eo, qui se se obtulit ad explendam deficientis competentem voluntatem. Ideoque cautionem praestitit, vt eo certiores sint omnes quibus aliquid ex hereditate debetur, et si lubenter concedimus & eam ob rationem satisfactionem esse interpositam, quoniam legatariis & reliquis quasi ex contractu eum esse obligatum qui adiit, vix adfirmandum est. Profecto enim tantam vim hoc loco aditionis adhibita vox habere non videtur, vt ea omnia, quae in studio propria quasi sunt, complectatur. Rursus vero creditores hereditarii ab ipso exigunt debita, eumque conueniunt: expresse hoc supra laudato loco constitut *IVSTINIANVS*; ipsius tamen subeuntis actiones semper confundi non putamus, nam heres non sit, sed eius officio in adimplenda defuncti voluntate tantum fungitur, quo iure igitur ad eum haec incommoda transferenda essent? Ne tamen B. L. taedium moueamus, huc

<sup>1)</sup> *Nou. I. cap. 1. §. 1.*

<sup>2)</sup> *Nou. I. c. 1. §. 4.*

<sup>3)</sup> *Lib. III. Tr. 7. qu. 2. 3. seq.*

<sup>4)</sup> *Nou. I. cap. 1. §. 4.*

huc subsistendum erit. Huc usque disputata paulo attentioni  
si perpendamus animo, testamentum herede destitutum, desti-  
tutum viribus hodie non esse, atque I V S T I N I A N U M beni-  
gnum fuisse erga deficientium competentes voluntates pro-  
pterea quod illarum effectum infelici casu, aut libidini institu-  
torum subiicere noluit, nobis erit omnino fatendum. Neque  
enim aliam fibi proposuit rationem in confiencia Lege, quam  
supremi cuiusque ceteroquin legitimis iudicii conferuationem:  
liquet ea non solum ex vniuersa dispositione, sed iterata vice  
etiam est declarata. Eadem vñus est ut inuitatos aliciat ad  
adeundam iacentem e testamento deferto hereditatem, allectos-  
que detineat, & cuicunque proposuit ut & post mortem aliis  
imperare queat: *Et nullus, sunt verba legis, hanc legem duram*  
*habeat, tanquam relictis priuatus, sed considerans, quia omnibus ho-*  
*minibus terminus vitae est mors: Et non solum ab aliis ipse se per-*  
*cipere contempletur, sed cogitet quia & ipse aliis moriens impera-*  
*bit: Et si non huius legis mercatur auxilium, nihil horum quae*  
*omni studio disposituerat, ad effectum perducet x).* Quodsi vero  
huius legis ope ad effectum ea quae omni studio disposita  
perducuntur, etiamsi institutus adimplere neget defuncti vo-  
luntatem, neque adiit e testamento hereditatem, nonne aper-  
te declaratas habes ab Imp. deferti testamenti vires? Atque  
hac dispositione si imperare possumus hanc destituti testamen-  
ti virtutem, quamobrem in alio praesidium auxiliumue quae-  
rendum est medio?

### §. XVII.

Nobis igitur tantum superesse videtur communis opinio-  
nis mentionem facere, ex qua, destitutum testamentum non  
tam per se, quam vi clausulae codicillaris ei adiectae, effectus  
producere adfirmatur. Tanta scilicet huic clausulae salutari  
inesse vis atque facultas putatur, ut testamentum infirmatum  
sustinere queat. Atque hanc apud plerosque inuenies opinio-  
nem, raroque dissentientem, qualem se olim KÜSTNERVS  
V. C.

x) cit. Nou. I. cap. i. in fin.

V. C. monstrauit deprehendes <sup>xx).</sup> Neque vero hanc litem nostram facimus, sed per indicem tantum utramque sententiam expondere animus est. Clausula scilicet codicillaris, secundum Interpretes, si adiecta testamento, quod qua tale exitum habere nequit, illud in codicillum conuerterit, modo adsint requisita codicilli. Cum vero eiusmodi voluntatis supremae declaratio heredis institutio- nem obliquam complecti, pariter atque legatorum iniunctionem continere queat; ipsam hanc cautionem rem eo perducere, ut instituto heredi hereditas restituatur a legitimis successoribus, quasi eum in finem rogatis, & ab ipsis praefentur onera instituto imposita, si heres institutus haud succedat, putant. Iam cum sibi persuadeant, deserto testamento statim redire semperque redisse rem ad causam intestati, legitimos successores obligant ad praefenda instituto onera imposita, quasi in Codicillo, in quem desertum testamentum est transformatum ipsis essent iniuncta. Sed hanc omnem rem in dubium vocavit KÜSTNERVS, clausulam codicillarem testamentum in codicillum testamentarium conuertere, adserens, qui ergo tamquam accessorium ruente principali oratione validitatem amittit. Nuper tamen R. C. HENNE V. C. <sup>v)</sup> se huic opposuit opinioni, atque communem iterum pro- pugnauit sententiam, quam cum SEEGERVS <sup>v)</sup> V. C. peculiari opusculo exposuerit, & alii alia occasione probare voluerint, nos hoc loco non repetimus, sed B. L. nostram causam optime commendantes opusculo inponimus

## FINE M.

- <sup>xx)</sup> Diff. de legatis ex testamento post infirmantur adiectae, (Erford cui clausula codicillaris inest destituto 1773) §. XI.  
 non praefandis. (Lip. 1746)  
<sup>v)</sup> Diff. de vi & potestate clausulae codicillaris testamento destituto, (Lip. 1767.)






Halle, Diss., 1773-74  
X 230 9444



B.I.G.



DISSE R T A T I O N I S

D E

# TESTAMENTI DESTITVTI

## VIRIBVS

SECTIONEM ALTERAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

M O D E R A N T E

## CAROLO FRIDERICO ZEPERNICK

I. V. D.

D. XXVIII. SEPTEMBR. CICICCLXXIIII.

P R O P V G N A B I T

## GEORG. FRIDERIC. GOTTHELF LAVE

SAXO - ISENACENSIS.



HALAE AD SALAM

T Y P I S I. C. H E N D E

